PA 3879
.B4

DE ARISTOPHANE EURIPIDIS CENSORE.

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI HANC THESIM

PROPONEBAT

F. BLANCHET,

RHETORICÆ PROFESSOR IN LYCÆO ARGENTORATI,
OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS.

Πολλὰ μὲν γελοῖα,
Πολλὰ δὲ σπουδαῖα.
(Aristophanes, *Ranæ*, 387)

MEMORIÆ MATRIS.

ARGENTORATI,
EX TYPIS G. SILBERMANN, IN PLATEA SANCTI-THOMÆ, 3.
1855.

DE
ARISTOPHANE
EURIPIDIS CENSORE.

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI HANC THESIM

PROPONEBAT

F. BLANCHET,

RHETORICÆ PROFESSOR IN LYCÆO ARGENTORATI,
OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS.

Πολλὰ μὲν γελοῖα,
Πολλὰ δὲ σπουδαῖα.
(Aristophanes, *Ranæ*, 387)

MEMORIÆ MATRIS.

ARGENTORATI,
EX TYPIS G. SILBERMANN, IN PLATEA SANCTI-THOMÆ, 5.
1855.

PA3879
B4

Forbes Lib

DE

ARISTOPHANE EURIPIDIS CENSORE

I.

De causis simultatum Aristophanis cum Euripide.

Nil notius est in historia græcarum litterarum quam illæ duorum nobilissimorum poetarum, Aristophanis et Euripidis, simultates; quas prior Aristophanes, quippe cui facilior erat è scena comica insectatio, suscepit, susceptas acerbitate minime humana exercuit, neque unquam remisit, nisi defuncto adversario; de quarum ratione antequam disserere incipiamus, operæ pretium est causas exquirere, et ostendendum tales simultates neque tum primo inter poetas extitisse, et ex ipsa tragœdiæ et comœdiæ apud Athenienses naturâ defluere.

Hæc enim duo opera, quanquam apparatu et origine diversissima, diu tamen unum eumdemque finem, nempe publicam utilitatem, respexerunt. Quidni enim? Tragœdia, inter sacra Deum et quasi in penetralibus templorum nata, Deos et heroas, lyricæ poeseos æmula, celebravit, ita tamen ut patriæ amorem et instituta majorum cum religione et virtute commendaret. Hæc legenti cui non venit in mentem Æschylus ejusque fabulæ, omnes ad Deorum honorem et commoda reipublicæ spectantes? Quam viam Æschylus neque primus

JUN 3 1899

dem Atheniensibus denuntiat[1]; quasi comœdia, vitiis cum virtutibus tanti tamque ambitiosi viri pensatis, ambiguum judicium tulerit, quod ne historia quidem rescidit[2]. At qui Periclis hæreditatem colligere conati sunt, non jam populi duces, sed vere demagogi, eos poetæ comici quanto quamque unanimo impetu, neque sine suo periculo, aggressi sunt! Sensere Cleon, Cleophon, Pisander, Hyperbolus, et ipse Alcibiades haud omnino saltem impune rempublicam suis factionibus hinc atque hinc distrahi et inconsulta facundia rhetorum in temerariam agi funestamque ambitionem[3]. Imo etiam, ut opinor, ipse populus, quanquam immodicus licentiæ verborum amator, dum suos tamen duces, summo favore summaque dignitate ornatos, ludibriis poetarum indefensos tradit, sane poetis ut suæ ipsius libertatis, legum, civitatis impigris propugnatoribus favebat. Profecto non gloriatus esset Aristophanes de suis erga civitatem meritis[4], neque vocasset in testimonium omnes Athenienses si surgere quilibet e spectantibus

[1] *Incerta*, 4.

[2] Mira et insolita moderatione Aristophanes ipse erga Periclem utitur; sive ingenium veneratus, sive potius viderat Periclem ita factionis suæ fortunam cum bono reipublicæ causa conjunxisse ut altera ab altera sine utriusque detrimento segregari jam non posset (Rötscher, *Aristophanes ejusque ætas*, II, 2). Sic enim de illo loquitur (*Acharnenses*, 530) ut utrum laus an vituperatio illis versibus contineatur incertum sit.

[3] Eupolis Μαρικᾶν in Hyperbolum, Δήμους in alios demagogos, Ἀστρατεύτους in Pisandrum composuit; tetigit Alcibiadem in Κόλαξι; mollitiem ejus notat apertissime Pherecrates (*Incerta*, 5), Phormionem idem Eupolis in Ταξιάρχιος, Hermippus Hyperbolum in Ἀρτοπώλισι. Sed quid hic refert omnes fabulas enumerare in quibus prodibant demagogi ridicula persona induti, quum constet nihil fuisse magis voluptati populo Atheniensi? Vide Cobett, *Observationes criticæ in Platonem*, I.

[4] *Acharnenses*, 627).

potuisset cumque mendacii, probante populo, arguere. Neque fuit, ut videtur, laus illa peculiaris Aristophani; sed omnes ejusdem ætatis poetæ eam sibi vindicaverant; qui petulantia verborum quam maxime lascivientes, modestiam tamen commendaverunt; ingruente corruptela, bonas artes, crescentibus in immensum divitiis, paupertatis commoda laudaverunt; populum impotentem et semper in temeraria consilia ruentem ad prudentiam respicere jusserunt; ejus adulatores, demagogos, sycophantas, pessimos duces, vehementissimis criminationibus semper insectati sunt. Erant tum Athenis duæ partes, una eorum quos prosperæ res et crescens in diem Athenarum imperium infinita dominationis cupiditate accenderant: hi, numero, insolentia, vulgi favore freti, patriam suam in summa pericula adductam postremo perdiderunt; altera paucorum sapientiumque, quos terrebat suorum civium temeritas et ambitio, novis rebus quam maxime infensos; forsan illi calamitates quas præsagiebantur non vitavissent; at certe, quum patrias artes retinendas esse censerent, meliora et utiliora suadebant. Quas Athenarum partes si nominibus popularium et optimatum designari volueris, plerique comicorum, ut credo, inter optimates referendi sunt, laude profecto dignissimi, qui multitudinis plausus non per blanditias, sed potius per veritatem et generosam dicendi procaciam quæsiverunt.

Hoc est illud, quod diximus, comœdiæ cum illa prisca tragœdia vinculum; eodem fine proposito, concordiam agunt. Dum tragœdia, productis heroum exemplis, memoratis ipsorum Deorum erga homines, erga Græcos, erga civitatem Atheniensium beneficiis, comœdia poetarum audacia, argumentis ad rerum forensium

similitudinem effictis, tum apertis chori consiliantis concionibus, multitudinem illa terrore et misericordia perculsam, hæc jocis et immoderata risus licentia excitatam variis modis moverent, agerent, impellerent, erat quasi fœdus duorum generum in hanc similitudinem convenientium, ut populum semper ad antiquitatem imitandam revocarent, patriæque amorem et bonarum artium studium certatim foverent.

Supersunt hujus miræ breviorisque concordiæ pauca vestigia. Laudatur Æschylus a Teleclide[1], forsan et a Platone[2], propter illam insignem et vere antiquam ingenii gravitatem; splendidum de Sophocle testimonium tulit Phrynichus[3], tulit et ipse Cratinus, melior tamen in conviciis quam in laudibus[4]. Quanquam non omnino vel nascens comœdia solitis armis abstinuit; deprehenduntur et in Platone Sophoclis[5], et in Cratino Æschyli[6] quas vocant parodias; scilicet tragica sublimitas, facete usurpata, in sensum quemdam ridiculum, sine poetæ censura, detorquetur. At acrior hercle censura comicorum in eos qui minorem sui venerationem fecerant; quorum nomina varias ob causas asseruntur. Modo mores tantum auctorum notantur, Nothippi gulositas[7], Melanthii obscœnitas[8] et servilis adulatio[9], Gne-

[1] Cum Æschylo Philoclem comparabat, cui negabat esse « Αἰσχύλου « φρόνημα » (Ἡσιόδοι, 1).

[2] Comparatur et hic malus poeta cum bono, quem Æschylum esse verisimile est (Λάκωνες, 2). — [3] Μοῦσαι, 1.

[4] Cleomacho nescio cui maledicit, qui chorum Sophocli negaverat (Βούκολοι, 2).

[5] Quanquam perobscura, et modo per conjecturam (Cobett, *Observationes in Platonem*, II).

[6] Versum Ius errantis in *Prometheo vincto* fere totum usurpat (Σερίφιοι, 5).

[7] Hermippus, Μοῖραι, 3 — [8] Callias, Πέδηται, 1. — [9] Eupolis, Κόλακες, 8.

sippi luxus[1], Acestoris impudentia parasitica[2]. Sæpissime autem et fabulæ veniunt in judicium. Ita scinus ex Chionide Gnesippum in musica fuisse deteriorem[3], e Cratino Acestorem[4] verborum, Philoclem[5] argumentorum obscuritate peccavisse, ex Platone Sthenelum[6] meliores poetas furari solitum, Xenoclem, Carcinum, Morsimum[7] alium aliis vitiis laborasse.

Quid nunc de illa pace dicamus quæ principio regnavit inter utriusque scenæ principes? Scilicet non diutius stetit quam erant eodem tempore iuduciæ inter græcas civitates; post tragœdiæ inventores, post Æschylum, brevi rupta evanuit; jam comœdia tragicos poetas posterioris ætatis, uno forsan excepto Sophocle, qui semper illæsus integra fruitus est gloria, lacessivit; exarserunt inter æmulantia genera simultates, bellum inexpiabile; sed non æquo Marte tragœdia, quam sui operis majestas in arenam descendere vetabat, cum rivali congressa est, quæ, novam et insperatam jocandi materiem nacta, se solum præsidium labanti reipublicæ superesse jactitabat.

Si dicere licet quid sentiam, causæ in aperto sunt propter quas comici poetæ tragicos et principio negligentius et postea acrius petiverint. Donec comœdiæ licuit impune de publicis negotiis quidquid vatibus in mentem veniret edisserere, æquum erat eam, farragine dicendi subjecta, sua in foro quærere argumenta. Materiem enim ampliorem risui, conviciis, salibus comicis præbebant reipublicæ factiones, oratorum consilia, multitudinis imprudentia, ducum et imperatorum inep-

[1] Eupolis, Εἴλωτες, 3. — [2] Eupolis, Κόλακες, 1. — [3] Πτωχοὶ, 1.
[4] Cratinus, Κλεοβούλιναι, 1. — [5] Cratinus, *Incerta*, 156.
[6] Platon, Σκευαὶ, 2. — [7] Platon, Σοφισταὶ, 1.

tiæ, civium vitia et errores quam fabulæ argumentum, verba aut sententiæ; quorum acumen et subtilitatem populus rudis vix intellexisset, nedum ex his voluptatem percepisset. Sensim autem crescere comœdiarum auctoribus molestiæ; inciderunt in multa odia eorum quos læserant; graves inimicitias susceperunt. Dicitur Eupolis Alcibiadis insidiis exceptus periisse; Aristophanes vix effugit Cleonis accusationem; Plato, Cratinus perpetuum bellum egerunt. Imo duces populi clarissimi non semel theatri licentiam severis legibus compescuerunt; tantum valuit apud populum Atheniensem Periclis nomen, Alcibiadis gratia[1]! Tunc variæ belli Peloponnensis vices calamitatesque, clades ingens in Sicilia accepta, quanquam nondum fracto populari imperio, vix risum admiserunt. Hinc comœdia magis atque magis a rebus forensibus ad reprehensionem auctorum, præcipue tragicorum, versa est.

Forte eo tempore tragœdia multum ab instituto suo deflexerat. Præjudicium in ea re ferri nolumus; certe Euripides, qui scenam atticam cum Sophocle dividebat, ingenii natura et quasi poeseos indole multum a

[1] Si sequimur conjecturam ingeniosi viri, bis comœdiam lex coercuit. Priorem tulit per aliquem suæ factionis Pericles : qua lege vetitum erat τινὰ κωμῳδεῖν, hoc est personam ad imaginem cujusquam efficere, civesque ipsos propriis nominibus loquentes et agentes inducere; lex lata est Olympiade 85ª, anno primo. Ergo comœdia invita de civitate obmutuit; non tamen diu; namque vix acto triennio serpsit iterum prisca licentia cavillandi, quam Pericles ipse ultra reprimere non conatus est. At circa Olympiadem 91ª, Alcibiades, cum videret civitatem totam expeditioni Siculæ intentam, imo et sacrilega Hermescopidarum mutilatione trepidam, occasionem nactus, decretum tulit quo repetebatur lex avunculi. Neque unquam postea comœdia in pristinum splendorem restituta est. Primo enim penuria reipublicæ effecit ut chori dignitas minueretur; mox soluta est democratia, qua abolita, comœdia et extincta est (Cobett, *Observationes in Platonem*, I).

Sophocle, multo magis etiam ab Æschylo discrepat. Illi sive evenit, sive contigit ut maximum tumultum inter litteratos viros moveret, irasque comicorum in se concitaret. Risit eum Teleclides jam et socero Mnesilocho, ut apud Aristophanem, conjunctum[1]; imo, si verum est quod conjicitur e fragmentis, Phrynichus in Musis certamen poeticum inter illum et alterum vatem, nempe Sophoclem, instituit, e quo Euripides videtur victus excessisse. Theopompum et Strattidem, qui manifeste Aristophanem secuti sunt, omittimus. Jam inde constat tum cæteros tragœdiarum scriptores, tum et ipsum Euripidem sæpissime ante Aristophanem in scenam comicam, ludibrii causa, prodiisse. Nihil Aristophanes novavit in theatro; morem usitatum retinuit et ampliavit, hoc uno cæteris præstans, quod forsan primus certissimum ordinem in hac sui operis parte observavit. Non enim casu oblato, non arrepta occasione, sed consulto, volens ac meditatus in certamen cum poetis tragicis venit; imo non cum omnibus: sed hostem sibi inter omnes elegit, suum æqualem, maxima jam laude celebratum, Æschyli Sophoclisque haud infelicem æmulum. Illum duo et viginti annos[2] multis in fabulis vehementer exagitavit. Neque tantum ejus verba sententiasque, sed argumenta carpit; neque unam aut alteram fabulam, sed totam poesim; neque solum carmina, sed ipsum poetam. Nulla fere in Aristophanis fabula non invenitur Euripidis nomen; multæ ad imitationem et parodiam illius tragœdiarum compositæ sunt; quarum erant *Γεωργοὶ*, parodia *Cresphontis; Lemniæ, Danaï-*

[1] *Incerta*, 2.

[2] Aristophanes *Acharnenses* 88ª Olympiadis quarto anno docuit; Euripides 93ª anno secundo occubuisse dicitur.

dum; Ταγηνισταὶ, Phœnissarum; Pax, Bellerophontis; prodibat ipse Euripides cum aliis poetis in *Προαγῶνι*, quæ fabula intercidit, in *Acharnensibus*, sed *ἐπεισοδικῶς*, in *Thesmophoriazusis* cum Agathone, præcipue autem in *Ranis*, ubi crimina quæ passim in illum vivum ac florentem intenderat, ea omnia in mortuum, famaque jam consecratum, collecta et supremum renovata, pondus ingens accusationis, ruit.

Tam constantis tamque vehementis inimicitiæ causas num pluribus explicare necesse est?

Aristophanes antiquitatem, sicut omnes veteris comœdiæ auctores, defendebat: hoc sibi munus susceperat, summaque vi, summa pertinacia sustinuit[1]. In quo gerendo cum lumen aliquod et naturalis scientia regere videbatur: tanta vigilantia nova quæque mala in civitate gliscentia deprehendebat, tanta sui fiducia detegebat, tanta audacia insequebatur! Certe mira fuit Aristophanis in hac parte providentia: quam fusius exponere non est nostri operis, et jam optime laudata est[2]. Nullum corruptionis genus, nulla eum pestis fefellit: crescentem multitudinis auctoritatem, propriam utilitatem publicæ prælatam, infrequentes conciones, contemptas leges, jacentem in oblivione senatûs gravitatem, corruptas artes, musicam, gymnasticam, ipsamque tragœdiam, ea, inquam, ruentis in perniciem reipublicæ indicia modo aperte per chorum, modo tecte vel inter jocandum designavit. Propterea tot viros sive vitiis, sive male gesta republica infames, imo etiam et aliquando

[1] Vide splendidam antiquæ παιδείας laudem (*Nubes*, 961); idem erat totum argumentum Dœtalensium; vide et *Acharnenses* (625).

[2] In libro germanice edito, Rötscher, *Aristophanes ejusque ætas*, ubi hæ partes ab Aristophane susceptæ exponuntur.

virtute et ingenio insignes, summa posterorum admiratione,

« Sale conspergebat amaro. »

Fovebat enim ante omnia antiquitatem; cujus venerationi quum Socratis præcepta sophistarumque doctrinam officere arbitraretur, Socratem et sophistas cum novæ scientiæ instrumentis et ipsa philosophiæ domo concremandos esse censebat[1].

Quid de Euripide? Quem videbat, popularem poetam, disertum in scena oratorem, callidum sophistam, nova in tragœdia moliri sententiarumque audaciam libentius affectare, quo modo ei pepercisset? Adde opiniones de bello quo tunc flagrabat Græcia diversissimas; nam Aristophanes, laudabili pertinacia, suos cives assidue hortabatur ut pacem cum Lacedæmonis facerent; pacem in prosperis rebus, antequam aversaretur fortuna, pacem in adversis, remedium calamitatibus, poscebat; imo et approbare aggressus est, periculosum opus, omnium malorum quibus tum urgebatur Græcia, originem non apud solos Lacedæmonios quærendam esse[2]. Contra Euripides bellum et odia popularia fovere, Spartanis perfidis, Spartanis mendacibus, Spartanis publicis Græciæ hostibus maledicere, Spartæ denique exitium imprecari[3]. Gravissima illa de pace belloque quæstio quum sæpissime in foro ageretur, deque ea multa alia penderent ad rempublicam spectantia, quid mirum est si Aristophanes eum petiverit quem in adversis castris agentem, contraque suas partes conspirantem deprehendebat?

[1] Ita enim concluduntur Nubes.

[2] *Acharnenses*, 305.

[3] *Supplices*, 187. — *Andromache*, 445.

Hoc et iram Aristophanis acuebat, quod Euripidis quasi signa multi alii poetæ sequerentur; quos et ipsos, occasione data, censura sua dignatus est. Sic deridet Agathonem, e turba sevocatum, sic Carcinos, nomen satiræ aptum, sic frigidum Melanthium, sic mollem Cinesiam, sic Morsimum et mille alios quibus obiter famosam immortalitatem impertiit. Forsan et mitius egisset cum ejus multitudinis duce et patrono, nisi vitia Euripidis imitatores, ut solet, aucta in pejus retulissent. Inde vicissim Aristophanes quæ discipuli imperitia vel infirmitate ingenii peccaverant, ea omnia in magistrum inscium et insontem contulit; ita ut omnes malos poetas sub Euripidis persona castigaverit, sicut jam et antea Socrates illi pœnas pro sophistis omnibus expenderat[1]. Succlamare licet non suum cuique debitum solvi, bonosque pro malis pœnam dare: at riserat populus, Aristophanesque haud scio an ad altiora respexerit. Non jam enim solum vatem impugnat, sed, ut ita dicam, familiam, genus, scholam; sublato Euripide, non tolleretur litigandi causa, dum ejus partes alii suscitarent. Non pro viro, sed pro contrariis opinionibus pugnatur.

Ergo non privatas simultates, quod quidam crediderunt, Aristophanes cum Euripide exercuit; quod certamen sane indecorum theatrique majestate indignum

[1] De Aristophanis cum Socrate simultatibus notanda est conjectura doctissimi viri. Cui si fidem addimus, Aristophanes, cum *Nubes* edidit, Socratem nondum satis bene, quis esset, norat, neque a multitudine sophistarum segregavit; postea autem, sanctitate viri perspecta, ab eo in cæteris fabulis, quanquam sæpe occasione data, abstinuit; ita ut eum Plato ipse, mortuo jam magistro, loquentem in *Convivio* induxerit; quod certe non fecisset, nisi intercessisset quædam Aristophanis cum philosopho, post *Nubes* editas, reconciliatio (Stallbaum, *Præfatio in Platonis Euthydemum*).

esset, frustraque Plato, in egregio illo quod ejus fertur epigrammate, dixisset Gratias ipsas in Aristophanis mente domicilium elegisse. Euripidem seu jure, seu injuria, de quo postea videbimus, non ut inimicum, sed ut adversarium insectatus est; vehementius quidem, fatemur, quam et ipsum, et tantum adversarii ingenium decuisset, dum sæpissime ad atroces contumelias et turpia convicia progreditur; at certe consuetudine et comœdiæ ratione aliquantisper excusatus. Imo, si quid veterum testimoniis credimus, moderate Aristophanes isto, quod populus suis poetis concedebat, objurgandi et conviciandi jure, si cum cæteris comicis comparetur, usus esse videbitur[1]; neque Cratinum seu licentia verborum, seu maledictorum acrimonia, quanquam semel in propria causa, æquavit[2].

Nihil magis a nostris moribus alienum est quam quod in ejusmodi controversis, ubi tantum opera in judicium ire deberent, auctor et ipse in jus trahatur, eodemque telo petatur vates, quo carmina. Indignamur Aristophanem toties ad probrosa dicta descendisse, quibus neque ornantur ejus fabulæ, neque quidquam laudis Euripidis carminibus detrahitur. Quid enim refert matrem Euripidis olera vendidisse, modo filius nomen suum inter clarissima posuerit? Certe parum apud nos ea argumenta, ab ignobilitate generis desumpta, valerent; at multum apud Athenienses: quippe qui semper principem locum inter cæteros Græciæ populos antiquitate vindicaverunt, severas leges contra advenas et

[1] In parabasi *Nubium* (537), Aristophanes de modestia sua (mirum!) gloriatur; eademque in auctorum insectatione usum esse verisimile est.

[2] Doluerat Aristophanes quod Cratinus, neglecta Musa, nimis mero indulgeret; at iracundus senex in Πυτίνῃ longe aliter esse ostendit, qua in fabula multa conviciatus est in Aristophanem.

nothos tulerunt, verbis et forma reipublicæ popularis civitas, re autem optimatum multitudo; quibus fortasse et Euripidis carmina ex ipsius humilitate aliquid labis contraxisse videbantur, quasi, suspectus Atheniensium musarum alumnus, eos liberos spiritus, civiles animos, urbanitatem, denique illum atticismum, terræ saporem et originis indicium, non a natura accepisset, sed imitari conaretur. Demosthenes et Æschines, summi in civitate viri, qui de majoribus rebus contendere solebant quam sunt carmina, mutuis tamen alter alterum conviciis egerunt, iisdemque fere quam Aristophanes Euripidem, nedum id tantum in theatro fuerit usitatum. Quibus exemplis Aristophanis de genere adversarii calumnias neque excusatas, et tamen quid apud cives suos valuerint intelligi voluimus.

At graviora objicit, de quibus nunc disserendum erit; quæ omnia, sparsa in omnibus Aristophanis fabulis, triplici accusatione continentur: Euripides, malus poeta, pessimus civis, contemptor religionum, arguitur ab Aristophane tragœdiæ dignitatem minuisse, mores publicos corrupisse, Deos negavisse, atque ita ingentium malorum civitati Atheniensium causæ fuisse. Quæ si vera sunt, quis unquam proditor majus supplicium meritus est quam Euripides? Qui non in unum aut alterum civem, sed in patriam peccavit, neque damnum aliquod toleratu facile attulit, sed eam ipsam virtutem in animis extinxit, qua incolumi maximæ calamitates facile reparantur. At Aristophanes:

« Οὐκ ἀποθανεῖν σε ταῦτ' ἐχρῆν τολμῶντα[1]; »

[1] *Ranæ*, 951. Eadem fertur paulo post in Euripidem a Mercurio sententia (1010). Sic et in nubibus Socrates et sophistæ cum ædibus et suo φροντιστηρίῳ comburuntur.

inquit. Si quis autem vates non solum animos splendore carminum delectare, sed gravitate sententiarum mores lapsos restituere possit, eum Aristophanes corona poetica donatum ex inferis Athenas, Baccho ipso duce, reducit. Tanta ignominia Euripidem, tanto honore Æschylum in Ranis dignatus est.

II.

Comparatur Euripides cum Æschylo; de his quæ Euripidi ab Aristophane objiciuntur.

Nullum unquam suavius, nullum pulchrius fabulæ argumentum invenit Aristophanes quam celebratissimum illud Ranarum[1]; ubi certamen inter Æschylum et Euripidem, hunc recens, illum jamdiu defunctum, ambo tamen laude maxima conspicuos, instituit. Causa in inferis agitur, in sede beatorum, Deis spectantibus; chorum efficiunt initiati, nobilis et sacer cœtus, quorum in conspectu litigant de principatu poetico duo clarissimi poetæ; pronuntiat Pluto; quasi Aristophanes nos monitos isto apparatu voluerit non levems illic quæstionem disceptari, sed scenæ dignitatem ad religionem et publica instituta pertinere. In ipsa disceptatione, nihil jam frigidæ dicacitatis, nihil indecoræ festivitatis; omnia urbana, quanquam vehementius dicta, omnia Attica, omnia etiam, quoad sinit ipsa operis lex, seria. Aristophanes per chorum Cererem, reginam orgiorum, invocat, precatus ne, dum risum captat, a studio bonarum artium avertatur; σπουδαῖα poscit[2]. Vocanti Ceres adfuit: ea integritate sedet Aristophanes, sicut ipse Pluto in fabula, judex quidem severus, neque tamen odio vel ira corruptus; uno, si bene intellexeri-

[1] Non tamen omnino invenit, siquidem usitatum erat comicis auctoribus sive fabulas in inferis collocare, sive mortuos excitare. Jam Pherecrates in Κραπατάλλοις Æschylum de suis meritis prædicantem induxerat.

[1] *Ranæ*, 390.

mus quam sibi poetarum imaginem Aristophanes finxerit, nihil æquitati sententiæ detrahit disputantium ardor[1]; neque illa veluti forensi gravitate vis comica imminuitur; ita ut nihil fere in Euripidem dici possit quod non jam invenerit Aristophanes, neque tamen ingenium adversarii seu negaverit, seu ignoraverit.

Ne nos tamen prætereat non tam judicium in hac fabula ab Aristophane ferri quam institutam fuisse Euripidis cum Æschylo comparationem, in qua Æschylus velut unum artis tragicæ exemplar daretur, atque ita quasi de superiore loco, certus victoriæ, dimicaret; oculos in eum Aristophanes intentos habens, omnia carpit apud Euripidem in quibus ille a principe tragœdiæ, quasi discipulus a magistro, descivisse videatur; dumque singulas operis partes summa diligentia obit, Euripidem longe inferiorem Æschylo esse asserit et confirmat. Necesse est ergo Euripidem, etsi ingenium Æschyli æquavisse existimaretur, nihil tamen proprium, nihil sui juris vindicare posse; si a via quam ille aperuit vel paululum deerrare visus sit, litem perdere.

Quid autem tantam Æschylo venerationem, imo, teste Aristophane, tantam superstitionem conciliaverit, videamus.

Æschylus argumenta tragœdiarum a fabulosa antiquitate, a religione, ab heroum et Deorum historia, aliquando et a suæ patriæ annalibus, imo semel a rerum nuper gestarum memoria mutuatus est; tragœdiamque non ad voluptatem aurium et oculorum, sed ad laudes Deorum patriæque utilitatem natam esse credit;

[1] Bacchus litem dijudicare abnuit, incertus inter utrumque :

« Τὸν μὲν γὰρ ἡγοῦμαι σοφόν, τῷ δ' ἥδομαι. »

(*Ranæ*, 1413).

neque poetæ munus oblectatione spectantium absolutum esse, nisi eos et virtutis præcepta edocuerit. Quod ipse pro virili parte nulla non in fabula defungitur. Nam in omnibus egregia exempla proposuit, non tamen semper virtutis [1]; quænam enim historia fuit unquam minus virtutum frequens, imo quæ facinoribus et flagitiis magis referta quam illi Græcorum heroum et ipsius Olympi annales? Ubi atrociora scelera sceleribus continuata, ubi tristiorem cædium, veneficiorum, libidinum seriem, ubi plures ingentium criminum reos breviore temporis spatio conjunctos invenies quam in illis Pelopidarum Œdipodarumque familiis, quibus tot tragœdiæ continebantur? Hic autem Æschylus artem adhibuit maximam. Gementi, oppressæ virtuti adjutricem insperatam dedit, vim insuperabilem fati, non cæcam, ut vulgo creditur, sed per moras et ambages ad certissimum sceleris triumphantis supplicium gradientem. Ea parricidii pœnas per parricidium exigit; ea Orestem ad matrem trucidandam servat; ea gentem Œdipi ad internecionem persequitur. Scelus e scelere gigni, filium, quia ex matre impia natus sit, pium esse non posse, denique pronepotes propter avi peccatum ruere in perniciem, quamvis a nostris moribus, et, ut puto, ab æterna justitia summopere abhorreat, confitendum est fatum illud Æschyleum cum illa barbara, sed severa lege, quam *talionis* [2] vocant, aptissime con-

[1] Promethei calamitate docentur mortales modestiam; Lycurgi supplicio (Ἠδωνοὶ, Βασσαρίδες), temperantiam; Penthei dementia (Πενθεὺς), pietatem. Idem fere et in omnibus fabulis.

[2] Ea vis est hujus legis apud Æschylum ut pro fundamento omnis justitiæ sæpe ab eo proponatur (*Agamemno*, 672, 1202; *Choephoræ*, 255, 295, 365, et alias passim).

venire. Latet sub fato justitia[1], spectaculum augustum maximeque ad mentes commovendas idoneum. Quod si quis tamen hanc duram necessitatem humano generi impositam abnueret[2], rebellanti apparebant in cantibus chori diræ facies, Nemesis flagello cincta, Dice gladium tenens, Eumenides sontium vestigiis instantes; murmura audacioris linguæ terror Deorum compescebat, eratque religio pro conscientia.

De fato pendet, ut ita dicam, omnis Æschyli tragœdia. Fatum ita occupat heroum voluntates ut in quacumque re duplex tantum consilii via illis deliberantibus relinquatur, aut fato obsequi, aut irritis conatibus impiisque contra vim superiorem reluctari, postremoque rapi. Inde virtus immota, tota in se contracta, et quasi jam stoïca; inde silentium illud Achillis et Niobes, quod per triduum nullæ querelæ ruperunt[3]; inde præsertim superba et plus quam humana Promethei constantia, quem ne fractus quidem orbis victum et illigatum conterruit[4].

At vehementes æstuantis animi motus affectusque apud Æschylum eadem fati necessitas plerumque comprimit, nisi quum libido, vel isto soluta terrore, eo violentius erumpit quod omnia obstantia una evertit, bonam famam, conscientiam, oracula, religionem.

[1] De fato pendent spes omnes Promethei (*Prometheus*, 498, 505); vide et *Choephoras*, 89, 230, 292.

[2] Jam ætate Æschyli, ingruebat, quanquam cautius, impietas; erant, ipso teste, qui Deos vel esse, vel humanas res curare negarent (*Agamemno*, 341); quos sub istius Capanei, herois impii, innuisse visus est (*Septem*, 394).

[3] (*Myrmidones, Niobe.*) Silentium illud et Aristophanes ridet (*Ranæ*, 911)

[4] Profitetur enim se et volentem peccavisse, et cuncta quæ acciderent animo prævidisse, sed venturæ ultionis spe juvari.

Clytæmnestra simul ac Ægisthi impurum amorem accepit, jam conjugi necem destinat; imo tantum scelus tranquillo animo parare videtur; Agamemnonem læta fronte accipit, Deos de sua innocentia testata, et ferit. Tunc repente mutatur: mulier modo humilis nunc arroganti vultu scelus ipsum gloriari, civium dolori insultare, sœvum imperium minitari; filio, quem futurum patris ultorem monita reformidat, infestissima inimica, insidias struere. Adeo fata nil medium esse sinunt; adeo necesse est plura scelera admittat qui unum admiserit; adeoque libido apud Æschylum aut nulla est, aut extra omnes naturæ humanæ fines libere vagatur.

Sed quo severior veteris duræque religionis æstimator, eo gravior Æschylus in virtute, patriæ amore, modestiaque commendandis[1]. Omnia civium officia legum observatione contineri putat, legesque ipsas non a Deorum cultu separari posse. Non ille populum vanis laudibus inebriat; ne servata quidem Græcia, pulsis Medis, in tanta triumphi exultatione cives nimium insolescere patitur; neque obscurari Atheniensium præclara facta aut minui laudem arbitratur, dum victoriam Deis Athenarum custodibus referendam censet[2]. His modestiæ præceptis Æschylus victores Persarum, victor ipse Salaminiacus, imbutos volebat, hominesque per carmina meliores effici.

Inde mira et perpulchra illa religionis, caritatis erga patriam, virtutisque cum tragœdia concordia, quam optime intellectam optime et expressit Aristophanes. Inducit Æschylum de munere poetarum loquentem;

[1] *Supplices*, 570, ubi chorus ea enumerat quibus floreant civitates.

[2] Verba sunt Darii cladem suorum interpretantis (*Persæ*, 318).

quorum præcipuum, inquit, est ut mortalibus aliquid commodi conferant; simul et nomina Orphei, Musæi, Hesiodi, Homerique profert, nempe eorum vatum qui egregia exempla seu præcepta morum utilia posteris tradiderunt[1]. Illis sese Æschylus adnumerat, animosa ferocitate elatus; inde nobiles spiritus, inde generosæ sententiæ in ejus carminibus, quasi sidera, elucentes, magnificaque de tragœdia fingenda præcepta; poetam egregie factorum contemplatione accendi debere[2]; et illud, quo tota ferme artis tragica ratio continebatur: poeta quod turpe est ab oculis amoveat; nil nisi pulchrum, nil nisi dignum imitatione proponendum[3].

Sophocles nomen omnino prætermittere licuisset, quippe qui fere censuram Aristophanis effugit. Neque mirum; medius enim inter Æschylum et Euripidem, felicissimam obtinet in historia græcæ tragœdiæ sedem. Junior Æschylo, vitia ejus, scilicet fastum sententiarum, nimiam grandiloquentiam et nescio quid tumidi, facile vitavit, servata tamen tragœdiæ gravitate, summusque morum et pietatis custos. Ergo manum Aristophanes a perfectissimis operibus continuit, pius erga unum Sophoclem inter vivos, nisi quod ejus avaritiam obiter quodam in loco attigit; quid autem avaritia Sophoclis ad posteros?

[1] (*Ranæ*, 1030.) Neque aliter sentiebat Æschylus, qui negabat ullam esse malorum laudem (*Septem*, 652).

[2] *Ranæ*, 1058.

[3] (*Ranæ*, 1053.) Cæterum ne Euripides quidem hæc præcepta abnuisset, qui Aristophani respondere voluisse his verbis videtur :

« Σιγᾶν ἄμεινον ταῖσγρά, μηδὲ μοῦσά μοι
« Γένοιτ' ἀοιδὸς ἥτις ὑμνήσει κακά. »

(*Troades*, 384). Sed de præceptis omnes fere consentiunt; quamobrem causa redit ad ipsa opera, de quibus ambigitur.

Ergo ab Æschylo ad Euripidem conversus, Aristophanes apud eum, quibus constat tragœdia partibus recensitis, omnia levia et exilia, nil nisi nugas canoras commentaque ineptissima invenire sibi videbatur. Eum ducem ita sequemur, criminaque ita et nos evolvemus, ita quæremus apud Euripidem quæ adversarii indignationem aut risum movere potuerint, ut, bene cognita accusationis ratione, tum demum sententiam nostram proferamus.

Aristophanes vicissim et per ordinem argumenta, prologos, choros, monodiasque reprehendit. Servetur et a nobis hic ordo.

Si fabularum titulos tantum aspexeris, nihil ferme mutatum in Attico theatro ab Euripide reperies; nempe eadem ferri nomina, ex eisdem fontibus, memoria populorum et historia, desumpta; pleraque de primis Græciæ temporibus, heroibus, Diis; fata Trojæ longa et lamentabili fabularum serie, velut in Homerico commentario, modo parari[1], modo deplorari[2]; paucissima argumenta, si numerum fabularum omnium reputaveris, extra illas celebratas vereque tragicas familias Pelopidarum[3], vel Cadmeorum[4], vel Atticos heroas regesque[5], vel alia famosa nomina ab illo quæri.

Sed ea sæpius a prioribus poetis tractata quum repetit Euripides, omni ratione et artificio renovare niti-

[1] *Telephus*, *Scyriæ*, *Palamedes*, *Philoctetes*, *Epeus*, *Rhesus*, *Alexander*, *Protesilas*.

[2] *Troades*, *Andromache*, *Hecuba*.

[3] *Chrysippus*, *OEnomaus*, *Cressæ*, *Thyestes*, *Iphigeniæ duo*, *Electra*, *Orestes*, *Plisthenes*, *Temenidæ*.

[4] *Cadmus*, *Hypsipyle*, *OEdipus*, *Phœnissæ*, *Antigone*.

[5] *Ion*, *Alope*, *Ægeus*, *Theseus*, *Supplices*, *Erechteus*, *Pirithous* *Hippolytus*.

tur, ante omnia a vulgatis abhorrens. Modo, neglecta Homeri auctoritate, Helenam suo jure in Ægyptum rapit[1], Europa atque Asia decem annos pro simulacro certantibus; vel Homericum Phœnicem, socrus suæ adulterum et pene patris occisorem, ultro absolvit et in alterum Hippolytum mutat[2]; modo Æschyli et Sophoclis argumenta, audaci æmulatione, quasi propria vindicat; inde, vel invita historia, non jam solus Philoctetes in insula gemit; socius Antigonæ in pio officio Hæmon adjungitur; nupsit ipsa Electra castum nescio quod connubium; denique quod pluribus tragœdiis sufficeret in una fabula congeritur[3].

Qui fit ut ille poeta, tam solers argumentorum inventor, in simplicitatem nimiam, quum inventa exponeret, inciderit? Una fere omnibus fabulis ratio, una species, unus dicendi color; ita ut in amissis grammatici haud immerito, si modo detur nomen primæ personæ, positaque ad finem longa cujusdam miraculosæ rei narratione, argumentum integrum restituere posse sibi videantur. Quod vitium festive notavit Aristophanes. Nam in Ranis Æschylus prædicat sese omnes ejus prologos *ἀπὸ ληκυθίου* eversurum; quod ita interpretatur: Euripidi multos suarum fabularum prologos vicissim recitare incipienti Æschylus post unum aut alterum versum occurrens orationem his verbis absolvit:

« Ληκύθιον ἀπώλεσεν, »

quæ cum tragicis comparata ridiculum quidem, sed tamen sensum efficiunt[4]. Significavit his Aristophanes Euripidis prologos omnes eadem fere formula contineri, in omnibus fere eadem eodemque modo exponi, atque ea vulgaria tragœdiæque absona. Ex fabulis enim omni-

[1] *Helena.* — [2] *Phœnix.* — [3] *Hecuba*, *Troades*, *Phœnissæ.* — [4] 1198.

bus quæ Euripidis servata sunt, una *Iphigenia in Aulide* prologum non habet; quanquam et in hac ipsa suavissimum Agamemnonis cum sene servo sermonem excipit longa et frigida narratio eorum quæ in castris evenerunt.

In cæteris prologum ex quodam historiarum libro depromptum fuisse dicas; tanta diligentia qui loquitur de omnibus quæ ad intelligendam fabulam faciunt edisserit, suum nomen, genus dicit, resque a principio repetit. Non dubitat Electra a Tantalo[1], Jocasta a Cadmo[2], Iphigenia a Pelope[3] ordiri; eodemque semper modo, conceptis prope verbis, ita ut amaram illam lecythum, inter tot prologos, vix unus aut alter effugerit, scilicet quum jam sui Medeam furores agunt[4], vel quum umbra Polydori novos luctus suis gemebunda præcinit[5]. Imo et aliquando in media fabula, si quid omnino novi interciderit, prologus alter inseritur; ut in Hercule furente, jam occiso tyranno, Iris cum Rabes de cœlo descendens Junonis ultionem prænuntiat.

Prologus per mortalem fieri solet; sæpe tamen et Deorum utili ministerio utitur Euripides, quos e postceniis evocat *προλογιζομένους*, id est fabulæ ordinem spectatoribus indicaturos; tum recedunt, donec, fabula jam justum spatium obtinente, cum nullus personis ipsis litem et odia componendi modus, nulla poetæ spes honesti exitus, Deus vel Dea e cœlo, vel ex inferis, vel ex mari, seu potius ex machina, non semper aptus ad nodum solvendum, omnia concludit, Hippolytum solatur[6], Iphigeniam rapit[7], Thoan tyrannum cohibet[8],

[1] *Electra*, 1. — [2] *Phœnissæ*, 1. — [3] *Iphigenia in Aulide*, 1.
[4] *Medea*, 1. — [5] *Hecuba*, 1. — [6] *Hippolytus*, 1283. — [7] *Iphigenia in Aulide*, 1540. — [8] *Iphigenia in Tauris*, 1435.

Orestem cum Menelao reconciliat[1], fatorumque arcana evolvit.

Inde Aristophanes venit ad chorum, cujus gravissimum erat apud magistros scenæ Atticæ pondus. Non solum ille actoris, sed primas partes apud Æschylum, certe secundas apud Sophoclem tuebatur; quam ad humilitatem ab illo excelso loco Euripides eum depressit! Indignatur Aristophanes quod chorus inutilis et neglectus ea ignoret quæ coram ipso aguntur[2]: cæterum quid aliud in plerisque Euripidis argumentis fieri possit? Vel fabula tota substruenda est, vel poetæ hæc sane singularis, sed necessaria facultas concedenda, ut Medea liberos occisura, Iphigenia, Helena de fuga meditatæ, Hecuba Polymestori insidiata consilii socias volentes nolentes habeant; ut Phædra, quod non solum a veri similitudine, sed et a femineo pudore abhorret, de amore quem in intima mente abscondi vellet coram numeroso mulierum cœtu loquatur.

Esto: liceat Euripidi, quoties in fabula secretum aliquid agitur, chorum vel negligere, vel in tacitam facti societatem adsciscere: at certe plurima tractavit, in quibus suum choro decus integrum præstare potuisset; *Phœnissarum, Heraclidarum* argumenta summam similitudinem, illa fabula cum *Septem ducibus*, hæc cum parte *Œdipi Colonæi* habent; in quibus Æschylus et Sophocles summam chori dignitatem explicuerunt: quid Euripides? *Phœnissis* chorum ex Asia, nescio quo pacto, quærit; in *Heraclidis* fere supprimit. Adeo illa necessaria veteris tragœdiæ pars, apud illum inutile ornamentum, jam fere ad nihilum redigitur!

[1] *Orestes*, 1625 — [2] *Acharnenses*, 442.

Sequitur aliud vitium. Secundum enim instituti sui legem, chorus,

« Virtutis veræ custos rigidusque satelles, »

justitiæ et pietatis, quæ sæpius a personis tragicis calcabantur, munera impigre defendebat, et quasi publicæ conscientiæ interpres, communis sed veræ sapientiæ præcepta gravibus verbis tuebatur; fabulaque peracta, præcipue apud Sophoclem, quid de rebus humanis censendum esset, oraculi modo, pronuntiabat. Nihil tale ex Euripidis choro exspectetur[1], qui plerumque relegatus in theatro, auctoritate amissa, neque populi partes sustinet, neque saltem poetæ nomine privatæ prudentiæ placita profert. Ergo nihil nisi brevia et levia ab illo dici; rarissime cum actoribus colloquitur; fabulam trita quadam concludit vel extra petita sententia.

Gravius etiam in cantu peccatum est; musicam, artem cum carminibus conjunctissimam, depravasse dicitur Euripides; modos, antea distinctos, fœde permiscuit, genera omnia, cantilenas, nœnias, pæana, dithyrambum, imo ea quæ tantum convivantes decent, adhibuit; inde Æschylus ea deridens non lyram, sed crotala poscit; continuoque carmen integrat ad imitationem Euripideæ poeseos, molle quidem ipso sonitu delicatumque, sed verbis temere junctis, cætera sensu plane destitutum[2].

[1] Sit exemplo chorus in *Alcestide;* qui, patre et filio turpissime conviciantibus, vel obmutescit, vel frigida et sensu graviore plane destituta invenit.

[2] (*Ranæ*, 1301). In hac acerbissima irrisione, videtur Aristophanes præcipue choros ex *Helena* (179, 1107), ex *Phœnissis* (1485), ex *Hecuba* (444), ex *Electra* (432), ex *Iphigenia in Tauris* (1089) desumptos in animo habuisse; quorum certe maxima est, quod ad sonos et modos attinet, cum parodia similitudo.

Chori cantus argumento fabulæ sæpe alienissimos esse innumera exempla confirmant. Modo leviter vates circa res gestas alludens neque procul abest, neque tamen illis insistit; *Hecubæ* et *Troadum* carmina potius ad Trojæ præteritam ruinam quam ad præsentes captivarum calamitates spectant, et in *Phœnissis* narratur Cadmi in anguem mutatio; modo, quasi viæ incertus, auctor varia obiter tangit, et post infinitum circuitum ad argumentum subito revertitur[1]; imo aliquando chorus, extra fabulam libere vagatus, cantus ex quolibet poetico argumento aucupatur, vel proprias Euripidi de mulieribus[2], de felicitate[3], de conjugio[4], de philosophia et abstinentia Pythagorica[5] meditationes commendat.

Nil mirum ergo si Aristophanes in choros Euripidis, quanquam nimia severitate, sævierit; sed et Euripides minus laboris illi operis parti impendebat, quam neglexisse consulto videtur. Et si verum est quod tradit antiquitas et confirmat Aristophanes[6], Euripidem aliquando operam alienam invocasse, credam Cephisophonta fortasse in partem chori venisse; at certe verba Medeæ deliberantis, lacrymæ Troadum, Phædræ furores et cætera similia, tota hæc, inquam, Euripidis sunt.

Choricis proximæ sunt, quas vocant, monodiæ, scilicet cantus luctuosi sive næniæ quibus respondet chorus; raræ apud Æschylum et Sophoclem, creberrimæ apud Euripidem. Cujus rei causa in aperto est; nullus enim monodiæ locus, nisi in summo dolore, in quo describendo multus Euripides;

[1] *Hippolytus*, 731; *Ion*, 452; *Andromache*, 1037; *Helena*, 1301.
[2] *Medea*, 410. — [3] *Hippolytus*, 1102. — [4] *Andromache*, 464.
[5] *Cretenses*. — [6] *Ranæ*, 1408.

« Si vis me flere, dolendum est
« Primum ipsi tibi; »

dolent ergo, quam triste! quam inexhausto lacrymarum fonte! captivæ Trojanæ, dolet Andromache de nato anxia, dolet Alcestis sponte moritura; neque quidquam in his gemitibus vituperandum esse concederemus, nisi forte, dum nimium dolori indulgetur, tragœdia in mollitiem elegorum[1] deflueret.

Nunc autem occurrit secundum crimen. Euripidem, in hoc unice intentum, ut placeret, ut lacrymas eliceret, sublimiora neglexisse. Apud eum superbum illud Æschyli silentium, gravem habitum heroes obliti sunt; imo vestium magnificentiam, quam primus Æschylus,

« Personæ pallæque repertor honestæ, »

induerat, nunc deposuerunt; nunc prodeunt reges, ut iste Telephus, pannis obsiti, barba squalida, vultu anxio, vixque ingressi in querelas et lamenta erumpunt. Hecuba, fœdum visu! volvitur in cinere[2]. Imo severus ille fatorum interpres, inexorabilis patriæ majestatis custos, Œdipus, jam demissus et humilis, filios, quos ipse imprecationibus mutuam in cædem impulerat, amissos deflet, forsan miserabilior quam apud Sophoclem (de quo tamen ambigi potest) at certe non jam dignus qui tam religiosas partes sustineat.

Quid autem significant querelæ, nisi imbelles ani-

[1] Imo Euripides versum elegiacum, in *Andromache* (103) adhibuit; quanquam semel, sentiens et ipse eam versuum mensuram a tragico coore abhorrere!

[2] (*Hecuba*). Dicitur Orestes mortuo similis (*Orestes*, 385); queritur Tiresias senectutem plus quam deceret (*Phœnissæ*, 834). Cæterum ea erat in his fæditas, ut auctor ipse Scholiarum vituperaverit (Scholia in *Phœnissas*, 1539; in *Hecubam*, 251).

mos? Quid panni ostendunt, nisi humilitatem et ignaviam? Nulli ea virtus quæ mala sortis humanæ fortiter patiatur; inopia pro maxima calamitate, divitiæ pro summa felicitate ab omnibus haberi; pro fide, pro nobili contumacia, pro pietate erga parentes, turpissimæ de jurejurando, de utilitate, de sui ipsius amore sententiæ; pro virili mortis contemptu, vita vel officio anteponi; mori apud Euripidem nesciunt, vel illi quos tristis senectus jam videtur a numero viventium exemisse. Aspice Amphitryona cum sua nuru suisque nepotibus propè aram insidentem, feminaque longe molliorem[1]; vide et patrem Admeti, Phereta, cum filio de morte voluntaria Alcestidis disputantem; at hercle nihil unquam in quolibet theatro fœdius invenisse memini quam istud indecorum patris et filii jurgium: filii patri exprobrantis quod pro se mori noluerit; patris sese vivendi dulcedine excusantis:

« Χαίρεις ὁρῶν φῶς· πατέρα δ' οὐ χαίρειν δοκεῖς;
« Ἦ μὴν πολύν γε τὸν κάτω λογίζομαι
« Χρόνον, τὸ δὲ ζῆν σμικρόν, ἀλλ' ὅμως γλυκύ[2]. »

Vera hæc et naturæ accommodata, inquit Euripides; at fæda et celanda, respondet Æschylus!

Degeneres animos non timor solum, ut ait Virgilius, sed omnia flagitia arguunt. Scenam invasit turba libidinosa, cupiditate flagrans; heroes perfidi, lucro addicti, omni vitio laborantes; mulieres adulteræ; imo etiam virgines erubescendis ignibus ardentes. Produxerat et ipse Æschylus perjuras conjuges, sed libidine describenda abstinuit, aut saltem eam in animo personæ cujusquam unam dominari non voluit; quis enim dicat Clytemnestram amore potius quam ultione et in-

[1] *Hercules furens*, 503. — [2] *Alcestis*, 691.

nata crudelitate ad trucidandum conjugem impelli[1]? Quanquam confitetur omnia quæ sunt in orbe terrarum imperio Veneris obnoxia esse[2], nunquam tamen amorem, nisi ut malum ingens, pestem generis humani, morbum et insaniam depinxit[3]; ita ut merito dixerit Euripides in *Ranis* nihil illi cum Venere esse[4]. Contra in scena Euripidis regnat libido; illum arcana æstuantis pectoris perscrutari, male dissimulatam ægritudinem deprehendere, et ex intima quasi mente eruere, variasque vices furoris primo nascentis, tum per silentium augescentis, brevique in immensam cladem erumpentis describere juvat. Quam multas fabulas illi præbuerunt soli Deorum amores, *Alcmenam, Ionem, Menalippen, Antiopam, Augen, Alopen, Danaen!* in quibus unum et idem argumentum diversas vitii species ostendebat; pueros in templis genitos, clam educatos, sæpeque ad facinora vel invita crescentes, inde incestus et parricidia, quæ vix Dei genitoris ope vitabantur. In aliis nuptias quas impuras vocat Aristophanes, *ἀνοσίους γάμους*, exposuerat; cernere erat Athaman inter duas conjuges quorum altera alteri et ejus liberis insidiabatur[5]; Meleager, jam in matrimonio, Atalantam deperibat[6]; adulterabat Thyestes cum Æropa[7], fratris uxore, unde tot et tantæ calamitates in Pelopidarum gentem defluxerunt; fratris denique cum sorore incestus et narrabatur, et longa fratris oratione defendebatur, et patris veniam obtinebat[8]. Quid de Sthenobœa, quid de Phædra, quid

[1] Credit Clytæmnestra scelus non a se ipsa, verum ab infenso quodam numine admissum esse (*Agamemno*, 1382).

[2] *Danaides*, 2.

[3] Vel ejus nomen reformidant puellæ Danaides (*Supplices*, 920).

[4] *Ranæ*, 1044. — [5] *Ino*. — [6] *Meleager*. — [7] *Cressæ*. — [8] *Æolus*.

de ipsa Pasiphae? quæ flamma interiore consumptæ, vultu pallido, tardo incessu, longam sui dedecoris historiam evolvebant, vimque amoris insuperabilem testabantur. Attamen modesta hæc et pudica, si cum una vel altera fabula comparaveris. Nullam enim libidinis labem Euripides intactam prætermiserat, ne illa quidem quæ natura aversatur; si quidem Chrysippus eorum morem, quos excusavisse et cecinisse æternum erit Græciæ opprobrium, originem referebat[1].

Inde iræ Aristophanis[2]. Quid enim talia reipublicæ proficiebant? Quid docent feminarum planctus? Quo pacto populum ad sanctimoniam invitabunt juvenum amores, Deorum fraudes et furta, reginarum adulteria, incestus, facinora nefanda? Quem ad finem totum femineum genus opprobrio coopertum voluit vates, nisi ut earum pessimæ cuique audaciam adderet, bonas a bonis artibus deterreret? Dissimillimus, hercle, ab Æschylo, non musas in auxilium moribus vocavit, sed per carminum blanditias venenum in animos instillavit.

Morum corruptorem, ut Aristophani videtur, necesse est malum civem fuisse; quare fingit ejus causam in illo certamine poetico a latronibus, furibus, parricidis, quæ turba maxima est in inferis, defendi[3]. Tanta calumnia significari voluit Aristophanes quid de illo Euri-

[1] Quanquam dubium est num jam ante Euripidem ista flagitia prodierint in scenam. Si fides Athenæo et Scholiarum auctoribus adhibenda est, primus Æschylus in *Myrmidonibus*, deinde Sophocles in *Alexandro* suos ipsi heroas pudendis amicitiis polluerunt. De his, inquam, dubitare placet; quantam enim morum fuisse jam a remotiore ætate corruptionem censendum est, si gravissimi omnium poetæ tantum dedecus, quasi virtutis adjumentum, admiserunt!

[2] *Thesmophoriazusæ*, 383.

[3] *Ranæ*, 771.

pidis populari favore censeret; Euripidem, quum studia vulgi captaret, deterrimo cuique favisse, vanas multitudinis opiniones amplecti aut sequi, neque tamen semper sibi constare; quippe qui modo in tyrannos imprecetur, Thesea magnifice de populari imperio loquentem inducat[1], gratissima Atheniensibus adulatio; modo autem hunc ipsum populum mobilem, vanum, timidum, vel contra efferatum et impotentem depingat[2]; docet quibus artibus illum moderari, regere, imo forsan et inscium frenare valeant duces; quid acrius in eum dici possit quam descriptio concionis in qua Orestes parricidii damnatur? Quanquam aliena nomina, ficta quæstio, scenæque locus in terra fere hostili, Atheniensium deliberationem illa verissima imagine effingi manifestum est, quasi comœdia tragœdiæ semel æmulari voluerit[3]. Omnia genera hominum quæ in publicum prodire solent, Euripides in illa concione proposuit: primo Talthybius, dubiæ indolis, nihil certi afferens, multa locutus, rem ambiguam relinquit; deinde Diomedes, miles strenuus, civis timidus et superstitione obstrictus; tertius, audacia pollens, ignarus rerum omnium, callidus tantum suos cives novo semper malo irretire; in quo commentariorum auctores Cleophonta, demagogum tunc Athenis florentem, agnoverunt. Ille regit multitudinem, sententiaque et immiti et iniqua vincit. At enim Aristophanes satiram acerbiorem et frequentius exercuit: qui populum ipsum sub persona senis cujusdam præcalvi, morosi, stomachosi, stolideque servorum adulationibus obnoxii inducit,

[1] *Supplices* 335; *Theseus; Heraclidæ.* Vide et *Erechtea.*

[2] *Orestes*, 772. — *Hecuba*, 254.

[3] *Orestes*, 860.

rixamque ridiculam inter duo demagogos, nempe Cleonem et fartorem, instituit, ubi vulgi favor, ut apud Euripidem, præmium audaciæ, impudentiæ, loquacitatis datur[1]. Quis autem non videt sub ludicra comœdiæ ironia serias latere adhortationes? Præsertim cum in fine fabula idem Populus, excusso ministrorum jugo, positis annorum et ignaviæ sordibus, poeta jubente subito revirescat[2]. Spem tantam Euripides nunquam concepisse visus est; sed magis carminum quam partium studiosus, facilius, ut opinor, vulgi favorem per blanditias conciliari quam ipsum per severitatem corrigi arbitrabatur.

Mente autem longe ultra processerat; multa, inquam, secum agitabat Euripides quæ minime cum institutis et moribus Atheniensium congruebant; minus certe apud eum valere leges et instituta majorum, minus consuetudinis, quanquam antiquæ, veneratio, si modo ea rationi partum consentanea esse crederet. Exempla licet adducere.

Græciæ civitates imprimisque Athenæ severissimis in quædam hominum genera legibus stabant: scilicet in advenas, quos ne longa quidem Athenis commoratio in jus civium adsciscebat; in nothos, quos æternum originis opprobrium sequebatur et ab omni magistratu exercendo arcebat; in proscriptos, multitudinem infinitam misereque per cæteras urbes errantem; his adde servos, quos superbia dominorum in alterum inferiusque hominum genus relegaverat; cujus instituti iniquitatem non solum nemo aut paucissimi videbant, sed ea esse videbatur necessitas, ut respublica maximum detri-

[1] *Equites*, 235.

[2] Idem et videtur habuisse argumentum fabula quæ Γῆρας inscribebatur.

mentum accepisse diceretur si servorum conditio paulo melior esse cœpisset. Eos Aristophanes summo in contemptu habet; indignaturque civitate a Platæensibus, quanquam propter insignia beneficia, donatos fuisse[1]. Quid Euripides? Discrimina omnia, quæ majorum sapientia inter homines posuerat, proprio jure tollit; alienum civi, nothum genuino, quinetiam servum ingenuo comparat et anteponit[2]; ordines, conditiones miscet. Pro nihilo jam haberi nobilitas, pro nihilo nomen, avorum gloria, pro nihilo ipsa respublica. Deinde imaginem adumbrat liberæ civitatis, pulchriorem, hercle, quam veriorem: justitiam in ea regnare; omnes æquitate legum pares esse; nullum inter pauperes et divites discrimen[3]; cæteraque similia quæ olim e sophistarum scholis eruta, non sine publico detrimento Euripides primus in lucem theatri adducebat.

Tantam linguæ temeritatem ex eorum commercio retulerat[4]. Anaxagoræ admirator, Protagoræ discipulus, Socratis, quem Aristophanes, ut constat, sophistis adnumerabat, auditor et amicus, præterea ipsius Æschyli et

[1] « Ea erat inter dominum servumque sola societas ut ille imperaret, hic « pareret.... Dum floruit respublica, intacta mansit civium dignitas et auc- « toritas, maximumque discrimen inter cives eosque qui non eodem jure « fruebantur : imo discrimen ipsum retinebant leges, et in eo stabat publica « salus.... Quare summi viri confessi sunt necessarium esse illud inter in- « genuos servosque discrimen, rati civium dignitatem pro columna reipu- « blicæ esse. Plato, qui, in libris *De republica*, antiqua Græcorum præ- « cepta revocare nititur, dicit antiquam esse consuetudinem servos con- « temnere; Aristotelesque fatetur quo solutiora vincula servorum, eo magis « civitatem a sua origine recedere » (Rötscher, *Aristophanes ejusque ætas*, II, 4).

[2] *Ion*, 854 et tota fabula; *Hippolytus*, 1083; *Alexander; Archelaüs.*

[3] *Supplices*, 429.

[4] Hoc affirmat auctor græcus vitæ Euripidis.

Sophoclis exemplo fretus, qui placita sapientium sæpe in choris, sæpe in dialogo, quanquam breviter, commendaverunt, Euripides in suis tragœdiis locum philosophiæ dedit; quod autem fateri necesse est, parum spectata tragœdiæ natura, modumque omnem excedens, philosophiam omnem quæ tum maxime in scholis sophistarum agitabatur, in scenam transtulit; modo Anaxagoræ meditationes de origine rerum, modo Pythagoricas doctrinas de abstinentia[1]; sæpius socraticam de moribus disciplinam; imo etiam seu sophistarum alicujus, seu Platonis commenta de mulierum promiscuitate attingere videtur[2].

Ea plerumque male cum personis et cum argumento tragœdiæ cohærere nemo non videt; Menalippe, mater furtiva puerorum quos in stabulo repertos avus inscius, ut monstra, occidi jussit, monstra nulla esse probare nititur, orationemque a prima rerum origine, ut Ovidius, incipit:

« Ante mare et terras... [3] »

ab illo exordio quomodo ad pueros venerit nescimus; at Menalippe ex tam docta oratione nomen sapientis retinuit. Ergo ea, quanquam plane ab ore puellari absona, placebant, siquidem tunc primum vulgata novitate animos capiebant. Mox a philosophia digressus Euripides de religione, de Deorum natura, de cultu, de oraculis disserere vel ad ea manifeste alludere non dubitavit. At occurit statim more suo Aristophanes, cri-

[1] *Hippolytus*, 952.

[2] Quod saltem suspicari licet e fragmentis (*Protesilas*, 3).

[3] (*Menalippe sapiens.*) Ne scholiastæ quidem hæ philosophicæ declamationes opportunæ videntur, sed eas aperte reprehendit (Scholia in *Orestem*, 970).

mine impietatis armatus[1]. Scimus quo formidabilis ista accusatio Anaxagoram, Socratem, Aristotelem perduxerit, quantumque in periculum ipse religiosus vates Æschylus inciderit, quod arcana mysteriorum prodidisse visus esset; effugit tamen Euripides, vel prudentior, vel felicior, quanquam et apertus et liberius cum religione eum egisse constet, atque de multis dubitaverit, multa irriserit, multa etiam negaverit[2].

Erat tum secta quædam philosophorum qui fabulas de Deis per allegoriam et sensus abditos, quasi mysteria, sive per verborum confusionem interpretabantur: his certe Euripides adnuebat; de Bacchi origine[3], de Jovis nomine[4] cavillatur; opiniones quas poetarum testimonium, Homeri auctoritas, antiquitatis fides quasi sacraverat, inter fabulosa commenta rejicit[5]. Deos ipsos quam ad humile ministerium deprimat, vidimus; quasi eorum utilitatem unam agnoscat, ut fabulas aperiant vel concludant. Quod si quas illis forte partes tribuit, ea argumenta deligit quæ flagitia Olympi illustrent; eoque modo disponit, ut Dei stultitiæ, immanitatis, injustitiæ, libidinum omnium manifeste deprehendantur. Dicet aliquis ea omnia, historia tradita, carminibus sæpissime celebrata, religione et consuetudine excusari, eademque argumenta ab Æschylo et Sophocle adsumpta

[1] *Thesmophoriiazusæ*, 450.

[2] De divinatione, vide *Hippolytum*, 1055; *Helenam*, 744; de somniis, *Iphigeniam in Tauris*, 476, et alias passim. Sophocles quidem in *OEdipo rege* Jocastam induxerat multa de scientia oraculorum impie dubitantem; sed eam optime ipse eventus refellebat. Cæterum comœdiarum auctores sæpissime vitium Athenis frequens, superstitionem, attigerunt, Cratinus in *Trophonio*, Aristophanes ipse in plurimis fabulis, neque crediderant religioni offecisse.

[3] *Bacchæ*, 286. — [4] *Helena*, 490. — [5] *Helena*, 21.

fuisse. At Euripides Deos modo aperte[1], modo furtim in causam vocat, nedum propter divinitatem excusatos velit; vitia religionis latentia audacter detegit, nedum pia manu velum eis obducat. En reputa tecum quas partes Apollo ridiculo propiores in *Ione* impleat. Ille Creusam vi compressam, filium ex ea susceptum omnino deseruisse visus est; quanquam falso: nam infantem expositum in templo suo educari voluit, matrique secreto invigilat; sed peccati adeo eum pudet ut infantem in limine deponi per Mercurium voluerit. Deum, inquam, facti pudet! Novum illud et citra naturam divinam; cui multa quidem contra fas et leges humanas agere antiqua superstitio concedebat, dummodo serenitas intacta in crudelitate et in facinore maneret; quod si semel pœnitentiam admiserit, quod jam erit inter eos mortalesque discrimen? At Apollinem certatim accusant qui pœnam ejus erroris subierunt; Creusa eum injustitiæ arguit[2]; Ion, antequam suam originem norit, non tantum Phœbum, sed et Jovem, et Neptunum verbis castigat, et admonet exemplo eorum mortales absolvi, brevique templa deserta fore, si ipsi injustitiam exerceant[3].

Quum ejusmodi argumenta tractaret Æschylus, vidimus eum omnes hominum culpas fatorum ordine involutas velavisse; at apud Euripidem fatorum vis aut nulla est, aut libidines tantam solvit: sic Phædram insciam, innocuam et reluctantem invidia Veneris ad infamiam et scelus, sic Orestes Phœbi oracula ad parri-

[1] Iphigenia negat Dianæ placere sanguinem hominum, quem tamen in ejus honorem fundit (*Iphigenia in Tauris*, 380.) Amphitryo Jovem iniquitatis insimulat (*Hercules furens*, 339).

[2] *Ion*, 384. — [3] *Ion*, 436.

cidium, sic Herculem Junonis ira ad furorem et suæ conjugis, suorum liberorum cædem impellit: quæ quum nulla jam necessitate approbentur, quid superest nisi ut Phædræ Venerem, Orestæ Phœbum, Herculi Junonem incusantibus, mortalibus Deos ante suæ conscientiæ tribunal vocantibus assentiamur?

Quam sententiam Euripides, ne quis falleretur, retectis nubibus, declaravit, cum Ixiona, Bellerophonta, compluresque alios famosos heroas in scenam produxit. Istos audaces, dolosos, arrogantes, avaros, novarum rerum appetentes, impiosque finxerat antiquitas: aptissima ingenia quibus Euripides sine periculo suam cogitandi temeritatem tribueret. Illi, quasi e Gorgiæ vel Protagoræ schola prodeuntes, falsum quoddam et perniciosum eloquentiæ genus, τὴν ἐριστικὴν Platonis exercent. Videre est sophistas, nomina heroum mentitos, linguæ certamina de omnibus rebus instituere, modo verbosis orationibus disserentes, modo vibrantibus sententiis plausus spectantium captantes; nunquam tamen suæ dicacitati largius indulgentes quam si surgat quæstio quædam anceps, vel proponatur periculosum argumentum, vel agatur causa perdita, quam statim tuentur[1]. Præcipue sub Bellerophontis persona prodire ipse visus est. Illum, insidiis perfidæ mulieris oppressum, sua calamitas, quam non meritus est, in impietatem trudit; malos florere, bonos jacere cum videt, Deis indignatur, quos vel esse, vel rebus

[1] Sic disputatur de conditione mulierum in *Medea*, 231; in *Hippolyto*, 635; de musica in *Antiope*; de incestu in *Æolo*; suam causam agunt, quam ridiculis argumentis! Helena in *Troadibus*, 913; Creon in *Medea*, 528; Polyphemus impietatem in *Cyclope*, 316, Dictys tyrannidem in *Danae* patrocinatur. *Palamedem*, *Philoctetem* orationes implebant.

humanis invigilare negat; denique Pegaso vectus, ad Olympum evolat, suis oculis ea visurus quæ de rebus cælestibus tradita sunt[1].

Cæterum censuerunt Athenienses illum justos libertatis in loquendo fines excessisse; parumque abfuit quin heroa impium lapidibus obruerent; non tamen propter philosophicam superbiam, sed postquam dixisset Venerem multo petiosiorem fore si vultus ejus auri colore renideret.

Bellerophon, fulmine dejectus, in theatro moriens suam dementiam confitebatur, natumque Glaucum ad pietatem hortabatur. Sed philosophanti nemo responderat, nisi fulmen Jovis, regium argumentum, parum probabile apud illos quos moverat declamatio in Deos; quare et Euripides merito inter eos philosophos referetur qui impietatem his ipsis temporibus docuerunt.

Jam omnia exposuimus quæ Aristophanes Euripidi objiciebat, nullo cujusquam ponderis argumento, quod sciamus, prætermisso, nullo tenuato; quamobrem tam vehementer sœvierit Aristophanes in vatem egregium, qua ratione bellaverit, quibus artibus victoriam speraverit, edere conati sumus. Nunc, si convenissent de lite pronuntiaturi non comici actores, sed in foro ipsi Athenienses, et Aristophanes, accusatorem agens, collectis omnibus criminibus, Euripidem interrogasset:

« Nonne tragicæ artis splendorem per sordes et pan-
« nos obscurasti, fabularum simplicitatem ad nimiam
« argumentorum subtilitatem adduxisti, verborum di-
« gnitatem per declamationis artes minuisti?

« Nonne libidines pro virtute, turpes amores pro
« castis moribus descripsisti?

[1] *Bellerophon.*

« Nonne denique Deorum qui a civibus coluntur ma-
« jestate elevata, eos omnino esse negavisti, homines-
« que a debita religione absterruisti? »

Quid reus ad hæc respondere posset, scio quidem; sed et scio ea, quæ pro defensione dixisset[1], coram Atheniensibus dici non posse, credoque judices, quanquam et ipsi forsan poetæ jucundissimo plausus in theatro dedissent, unanima voce in sententiam accusatoris ituros. Nam vere Euripides multa protulit reipublicæ Atheniensium nocitura. Sententiam ferentibus suis civibus, litem perdidisset. Scimus autem ejusmodi causas nunquam sine provocatione judicari, et semper, quasi renovatas, sub æquioris posteritatis judicium venire. Provocemus ergo ab æqualibus ad recentiores, videamusque num et nos Atheniensium sententiam confirmaremus. Euripidis ingenium Athenienses ad suæ reipublicæ, suarum legum, suarum opinionum normam exigebant; quibus nos neglectis, ejus tragœdias ad artis poeticæ præcepta æternumque carminum jus revocamus. Civem illi damnabant qui exiguos urbis unius muros transilire ausus erat: vatem nos, invitis Athenis, invita tota Græcia, absolvemus, si sese vanarum opinionum vinculis, cæteris sapientior, expediverit. Adeo in hac renovata causa, mutatis judicibus, mutatur et omnis judicandi ratio.

[1] Imo forsan et respondit Euripides his criminationibus in *Menalippe sapiente*, in eos male lepidos invectus, qui jocandi materiam quærentes seria indecora hilaritate rident.

III.

Quid de Euripidis fabulis censendum sit.

Sed antequam litem redintegremus, liceat de ipso accusatore paucis anquirere, qui certe æquo animo patietur se ad eamdem severitatis legem vocari, ad quam alios sæpissime redegit. Quis enim toleret satirarum auctorem communibus vitiis laborantem? Igitur Aristophanes, quum theatri, morum, religionis patrocinium susceperit, necesse est tragœdiæ majestatem inviolatam ipse habuerit, virtutem ne verbo quidem læserit, Deos patrios veneratione sit summa semper amplexus. Nunc ejus fabulas percurramus.

Primum videmus tragœdiam ab eo non solum debitis honoribus fraudari, sed sæpe pro ludibrio haberi; tragicos heroas ridicule personatos prodire; sententias sublimes, seria quæque et graviter dicta a legitimo sensu prave detorta in deteriorem accipi; neque tamen semper per istas parodias carpi vitium orationis aut quamdam in argumento tragico negligentiam, sed sollicitari modo multitudinem ad cachinnum. Tum alia occurrunt et creberrima quæ publicum pudorem auctori parum cordi fuisse testantur: scommata inhonesta, verborum et nominum obscœnitas, impuræ cavillationes, imo etiam scenæ integræ et tota comœdiarum argumenta ad turpes jocos commenta: mira scilicet Atticæ urbanitatis documenta, quam tamen Aristophanes optime fideliterque retulisse dicitur. Denique vide-

mus Deos illos, quos quoniam Socrates negligentius coluisse credebatur contumelias Nubium subiit, Deos, inquam, videmus quam minimam sui defensoris obtinere reverentiam; Olympum omnem avium conjuratione et peti et vinci, Jovemque cum illis regnum dividere; Herculem gulosum, dum cibos odoratur, nullam pacis conditionem abnuere; Bacchum helluonem, mendacem, timidum, servili veste induta, plagis mulcatum, latere post suum sacerdotem ejusque auxilium implorare; neque tamen minus Deos illos irrisos suavissimis chori cantibus invocari.

Scio quibus illa excusari soleant: Athenienses in iisdem ferme rebus et admirandi causas et joci materiem quæsivisse; hanc esse meram εἰρωνείαν, partem Attici ingenii, nedum eam solus Socrates exercuerit; atque ita sine detrimento tragicæ dignitatis heroas comicam personam induisse, qua simul deposita nullus eos lædere ausus esset; quod ad mores attinet, risum simplicem et apertum labiis insidere, non penitus vestigia sui relinquere, saltem illiberali carentem hilaritate, neque illo diu mentem occupari[1]; denique Deorum quosdam semper ad publica gaudia sevocatos fuisse, neque si paulo petulantius lascivierit Bacchus aut Hercules, quidquam inde majestati religionis detrahi, dummodo frequens in templis multitudo semper a Deis salutem et prosperas res petat, neque ullus sive poeta, sive rhetor, sive philosophus, sive etiam triplex ingenium uno nomine amplexus, subtilitate ratiocinandi vel speciosa

[1] « Apud Aristophanem, quæ voluptatis causa tantum dicuntur saltem « non plus quam eam ipsam voluptatem affectant; ipsaque obscœnitate de- « trahitur talibus jocis quiquid in eis delinimenti fuisset. Non enim læduntur « mores, nisi quum obscæne dictis aliquid dignitatis conciliatur. » (Rötscher, *Aristophanes ejusque ætas*, II, 6).

oratione adhibita, ea consulto derideat aut calumnietur quæ ad hanc diem intacta steterant, sententiarumque temeritate novæ cuilibet opinioni vulgi favorem conciliare conetur; qua sub ficta austeritatis specie rerum et maximum latitare periculum!

Nunc autem quo pacto iidem homines de iisdem rebus dissimilia, tempore quodam interposito et quasi signo dato, sentire potuerint, fateor me non intelligere. Non enim animus se tali divortio duas in partes distrahi patitur; sed eum aut hinc aut illinc rapi necesse est; quam naturæ legem ne Athenienses quidem effugisse credam. Non frustra, ut opinor, Aristophanes suos cives quasi invitavit ut vel in seriis ridendi materiem quærerent: Euripidem aliumve quem poetam solum peti arbitratus, tragœdiam a sublimi loco ad humilitatem indecoræ facetiæ depressit. Non frustra audientium animos impuris ludibriis polluit; quæ forsan memoria tenacius servat quam honesta; his paulatim solvitur publicus pudor et sanctimonia, his adolescentes ad prava provocantur. Denique non frustra Deos mortali petulantiæ interesse voluit: quo pacto enim sincera mente eum precabuntur, quem in scena cavillantem cæsumque impune viderunt? Non jam veneramur quod risum movit; quod si primus efficere potuisse credidit Aristophanes, certe nimium suæ arti suoque ingenio confidit; vel potius severus tragœdiæ custos, morum censor, religionis observator, totiusque antiquitatis vindex non leviter et ipse, quanquam inscius, in tragœdiam, in mores, in religionem, in totam antiquitatem peccavisse manifestus est; necnon et illum paulo mitius cum Euripide agere decuisset. Nunc tamen videamus quid jure æmulo, nobis judicibus, objecerit.

Quod ad ipsas fabulas attinet, plura concedamus Aristophani: parum curæ in eligendis disponendisque argumentis, negligentiam in choris, declamationem in sermonibus, nescio quam dicendi mollitiem. Nullam fere fabulam Euripidis totam approbares; nulla est in qua non plurima reprehendas; pulcherrimas Medeæ partes corrumpit perfidia Jasonis; Alcestide moriente, quis non vellet Phereta abesse? Cui non certius placeret Hyppolytus minus acerbe in mulieres imprecatus, vel Iphigenia minus oratorie mortem deprecata? Quorum vitiorum plurima Euripides severiore diligentia vitare potuisset, alia malum abditum graviusque detegunt. Etenim ea quæ tragœdiis Æschyli tantam gravitatem addit, scenæ cum officio civili, cum religione concordia plane deerat Euripidi: sed inter veterem tragœdiæ formam novasque quas fovebat opiniones medius et quasi distractus, neque illam rejicere poterat, neque ab his desciscere volebat, sed interiorem secum dissentientis animi discordiam dissimulare conabatur. Sit Orestes exemplo: parricidium, immane scelus, quum Æschylus per fati necessitatem et Deorum oracula non solum absolutum, sed et laudatum voluerit, Euripides neque facinoris atrocitatem tradidit excusandam, neque tamen historiam mutari fas erat. Quid inde sequitur? Orestes ad matrem trucidandam quasi invitus rapitur, et nihilominus justas dabit pœnas, qui sese nocentem fore scierit, necnon et scelus admiserit; tragœdiaque, anceps inter fatum et pœnam, neque religioni, neque rationi satisfacit. Sic deest illa simplicitas quam Horatius a poetis poscit, quæque apud Æschylum enitet.

Abest et simili de causa bellicosus ardor, heroum

virtus; fatemur: at non semper populus armorum furore flagrat, neque semper decet eum a poeta excitari. Decebat quidem Æschylum, recentem a Marathone et Salamine, martiam tubam inflare, quum animos Atheniensium justa victoriæ superbia impleret, legitimæ ultionis cupido haberet, imo, nondum omni periculo depulso, tunc etiam bellandi, tunc etiam vincendi necessitas instaret. Non decebat Euripidem, quanquam ejus tempore Græcia minime pacem agebat; scilicet bello flagrans quod ad restinguendum omnes cujusque civitatis boni viri concurrere, nedum vates canere, debuissent. Adeo ut si quid peccavisse censemus Euripidem, exprobraremus illi quod aliquando suam Musam inter discordantium arma intulerit.

Atenim theatri dignitatem elevavit: utrum Euripides an ipsi spectatores, dubitari licet. Sunt enim in historia tempora quæ tragœdiam, ut ita dicam, spirant; quum populus magnos elatosque animos gerit, facilis ad sublimia, certusque generosi cujusque facinoris admirator, tum, poeta ad populi favorem incalesente, populo vatem adjuvante, tragœdia sponte nascitur. Quæ felix concordia et ipsa Euripidi negata est: jam enim recedentibus animis ab excelso Æschyleæ virtutis fastigio, jam ultro ad lætiora facilioraque descendentibus, tragicus ille, quem dixi, sensus, aut senescere aut mutari cœperat. Nondum tamen omnen animi generositatem exuerant, sed vivebat in pectoribus quædam humanitas mollior quam sublimior, proprior lacrymis quam admirationi, qua tragœdiæ genus vere novum et incredibili ubertate alitur. Nil enim latius patet, nil facilius approbatur, nil suavius mentem movet, penetrat, occupatque quam misericordia; qua quidem illi aliquid robo-

ris detrahitur, sed neque labem contrahit, et forsan ad meliora erigitur.

Ejusmodi temporibus quis poeta melius quam Euripides conveniebat? Ille jam natura ferebatur ad lacrymas; ille primus, fere solus in omni antiquitate voluptatem quamdam in dolore inveniebat. «Dulce lacrymari!» exclamat chorus *Troadum*[1]. Inde tot argumenta flebilia, tot fabulæ lamentis et planctibus plenæ; inde panni regum heroumque, sub quibus tamen aliquando latebant elati spiritus[2]; inde partes mulieribus et majores et frequentiores datæ quam ab Æschylo et Sophocle fuerant; postremo inde tragœdiæ non jam ad excitandam admirationem neque ad incutiendam Deorum venerationem, neque ad mores meliores efficiendos disponi, sed totæ in gemitibus et misericordia contineri cœperunt.

Misericordiam autem et gemitus num omnino a theatro arceri fas est? Affirmaret forsan Æschylus: nam heroas plus quam humanos lacrymæ ad humanæ infirmitatis confessionem retraherent, qui fortunam lacessunt, fato adversantur, seseque vinci, ne victi, ne verbo quidem confiteri volunt. Et profecto ferocem illam tristemque constantiam, etsi nobili forsan exemplo animos movet, longe tamen supra vulgarem imitationem poni et a natura abhorrere quis non videt? Pars tantum hominis ostenditur ab Æschylo: at ab Euripide totus. Apud eum, fato depulso, heroes in sui juris possessionem redeunt, certe nondum omnis injuriæ, laborumque immunes, fortunæ casibus semper ut cæteri homines, ut

[1] *Troades*, 605.

[2] Sic Telephus mendici habitu castra Græcorum ingressus est; agnitus ab Ulysse, confugit ad aras; ibi, pannis dimotis, jam rex, jam heros, Agamemoni mortem minanti ferociter respondet. (*Telephus*, 20.)

ipsi spectatores, obnoxii; imo suarum calamitatum sæpe sibi, sive inscii, sive propria negligentia, auctores sunt: nam in eorum pectore fremunt libidines, quibus obsistendum est, certamen ingens, nisi sese illis abripiendos trahant. At nobis illud certamen placet: sic enim libertas, etsi aliquando occumbit, exercetur; et scimus eam vincere potuisse. Magna est heroum nostræque conditionis, quippe et magna naturæ similitudo; eadem illis nobisque mala, iidem dolores; cupiditatum, quæ in scena sæviunt, semina saltem in nobis deprehendimus. Quare libet et fortunæ vices, et cupiditatum causas, ortus, vim, exitum contemplari, et cum eis comparare quæ subjicit vitæ consuetudo. Sic propior fit nobis tragœdia, quam Æschylus, ab humana natura longissime remotam, in cælo prope collocaverat.

Ecce autem profertur secundum accusationis crimen, videlicet de corruptis moribus; quasi tantum uni homini de toto populo licuisset! Quasi Euripides corruptos mores depinxisset, nisi et vidisset! Cæterum hic luculentum habemus testimonium historiæ, quæ magnam lucem versibus Euripidis effundit. Teste Thucydide[1], multa in publicis privatisque moribus, incipiente bello Peloponnesiaco, mutata sunt. «Simplicitas illa quam « plerumque strenui viri sortiuntur,» (intellige rusticitatem Æschyleam) « derisa vanescere;» nedum in tragœdiis jam moveret admirationem; « vocabula ipsa suam « vim amiserunt; demens audacia, pro fortitudine; pru- « dentia, pro ignavia; modestia, pro velo imbellis « animi; sapientia, pro nihilo haberi;» adeo non primus Euripides subtilitatem in verbis adhibuit, sed usitatam imitatus est! Neque quidquam novi attulit quum ea

[1] III, 83.

vitia protulit in scenam, quæ jam vulgo vigebant! Leges humanæ divinæque facillime violari; « fides non tam « jurejurando quam scelerum consortio stare; » At Hippolytus :

« Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος[1]. »

Quanquam et ipse moritur ne fidem datam violet. Apud Græcos, « pacta fœdera propter amicitiam necessitas « exigebat, occasio rumpebat; » etenim :

« Οὐκ αἰσχρὸν οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων βροτοῖς[2]. »

« Nullæ jam partes pietatem servare, sed laudari calli- « da eloquentia; » unde et idem Hippolytus :

« Νῦν δ' εὐρόοισι στόμασι τἀληθέστατα
« Κλέπτουσιν, ὥστε μὴ δοκεῖν ἃ χρὴ δοκεῖν[3]. »

Denique nullius jam mens sacro patriæ amore fervere, sed publica privatis posthabita, omnes, civitate neglecta, ad suam utilitatem festinare: quæ nova turpisque ratio agendi una sententia continetur :

« Φιλῶν μάλιστ' ἐμαυτὸν οὐκ αἰσχύνομαι[4]. »

Quis autem non videt tot malos, callidos, impios heroas, quibus Aristophanes indignatur, non ab Euripide quasi creatos, sed e medio desumptos, tum primum in scenam prodiisse?

Moribus publice ruentibus, Thucydides tantæ mutationis causam credidit ex ipso bello erupisse, non ex unius poetæ tragœdiis; judiciumque gravissimi scriptoris ne ipsius quidem Aristophanis testimonio refellitur. Ille enim, defensionem mulierum contra Euripidem suscipere visus, perfidus, hercle! patronus, fatetur Euripidem multa tacuisse, multa neglexisse; dumque dolos,

[1] *Hippolytus*, 612. — [2] *Andromeda*, 35.
[3] *Hippolytus prior*, 13. — [4] *Cresphontes*, 17.

peccata, secreta mulierum opprobria perlustrat, plura gravioraque crimina in uno sermone veluti coacervat quam ex omni theatro Euripidis colligi possint[1].

At Euripidis argumenta si sola intuearis, fateri necesse est turpium morum imaginem in eis contineri. Quid autem? Coram istis Æschyli auditoribus, Veneris perniciosum numen timentibus magis quam colentibus, doceto fabulam in qua variæ amoris vices, curæ, ardor, violentia vividissimis coloribus ornentur; procedat Phædra privignum, Sthenobœa hospitem, Canace fratrem deperiens; Perseus, equum alipidem conscendens, amorem,

« hominum Divumque tyrannum, »

imploret; chorus tantum numen jucundissimis cantibus sibi conciliare conetur; nonne putas fore uti tam novo blandoque spectaculo rudis adhuc populus facile moveatur? Tunc veniat licet Aristophanes, merito vatem imprudentem objurgaturus: « Cur flagitia revelas « quæ latebant, libidinesque velut e somno tacentes ex- « citare studes? Populus ille vitii nihil nisi fœditatem « et ignominiam noscebat: dum ornas, fecisti ut ama- « retur. Frustra credidisti præceptum tali sub exemplo « latere; non discitur virtus per libidinem; ignara mul- « titudo exemplum videt et sequitur, præceptum negli- « git. Jam te auctore gliscit malum; jam castus cor- « rumpitur populus; jam perierunt mores. »

Sed nunc non erat hic locus[2]. Non ea erat, inquam, ætate Euripidis, Atheniensium innocentia ut vitium

[1] *Thesmophoriazusæ*, 471.

[2] Non primus Euripides hoc genus tragœdiæ coluerat; si quidem Neophro in *Medea* sua, quam postea Euripides imitatus esse dicitur, æstus libidinis, nec infeliciter, depinxerat.

ignorarent. Nota omnia flagitiorum genera; neque timendum erat ne poeta, dum Phædram, Procrin, Sthenobœam, Medeam, Menalippam amore flagrantes prodire jubet, novas libidinum faces in pectore audientium accenderet : nisi forte libidinem ornaverit, incestum laudaverit, vetitosque amores pro legitimis esse voluerit. Quæ si ita sint, manifestus est mores non corrupisse quidem, sed corruptos corruptiores fecisse. Nunc utrum Euripidis tragœdiæ in istam censuram incurrant videamus, et in exemplum eam personam eligamus quæ maxime pudorem Aristophanis videtur offendisse, nempe Phædram.

Sponte exarsit Phædræ amor, a prima tamen origine adeo validus ut paucis diebus miseram ad vincendi desperationem adduxerit[1]; quod naturæ consentaneum esse nemo non fatebitur, qui vim libidinis norit. Necdum tamen Phædra vituperio digna, dum fatales animi æstus cohibere nititur; imo eo honestior, eoque miserabilior quo fortius pugnam interiorem sustinebit. Jam vide generosi certaminis vices : Phædra libidinem invitam celat; mortem optat[2], potius quam jura solvat pudoris, nedum sibi indulgere vitioque blandiri videatur. Tandem amens, morbo consumpta, precibus suæ nutricis evicta, fatale secretum emittit, necdum ullius culpæ conscia, jam ad posterum inermis. Non tamen omnino pudor expugnatur. Phædram in scelus non libido, sed nutricis impudentia, ipsius Hippolyti superbia et minæ, opprobrii metus, ultionis cupiditas projecerunt; imo, vix admisso flagitii consilio, scenam relinquit; nondum perpetrato, vitam: adeo sese ne mortua

[1] *Hippolytus*, 392. — [2] *Hippolytus*, 599.

quidem absolvit, vatesque in enarranda libidinis historia ea ex oculis spectantium removit quæ publico pudori officere potuissent!

Amorem Euripides qualem forsitan expertus norat, talem et in scenam produxit: funestum, sævum, sibi cæterisque infestum, denique eum quem nemo mente sana accipere cuperet[1]. Quod si velimus omnino inde præcepta vitæ utilia trahere (quanqnam præcepta vitæ a philosopho, non ab auctore tragœdiarum exposcenda sunt), Phædra omnes mortales docebit vel amori, si pote erit, nascenti obviam eundum esse, vel eum quacumque ratione opprimendum; choroque assentiemur Veneris iram deprecanti. Sic boni mores aliquod vel ex tanto mentis humanæ tumultu proficient, et ipsa libido quasi commentario purgabitur.

At enim eumdem finem vates multo certius per virtutem integram et sui securam, quam per libidinis anxietatem et vitii pœnas tetigisset; cur semper Phædras, nullam unquam Penelopem effecit[2]? Natura autem voluit virtutis triumphos egregium quidem esse spectaculum, at certe minus aptum tragœdiæ quam mentem humanam secum pugnantem, denique victam et a se pœnas exigentem, aut ipsa in victoria occumbentem; hoc excelsius, illud frequentius; hoc sapientium cœtui approbatum fore, illud indoctæ multitudini accommodatum; præterea, illam tragœdiarum rationem cum Euripidis ingenio melius congruere, et æquum esse libertatem quamdam poetæ in eligendis argumentis relinqui.

Quod spectat ad mulieres, fatemur Euripidem atro-

[1] *Medea*, 626; *Troades*, 989; *Iphigenia in Aulide*, 543; in amore sicut in cæteris, moderationem Deos exposcit (*Dictys*, 7).

[2] Aristophanes, *Thesmophoriazusæ*, 547.

cius in eas sæviisse[1]; quanquam sese Hesiodi[2] et ipsius Homeri[3] exemplo defendere potuisset. Nec tamen semper Euripides de mulieribus male sensit; sed earum laudes multas, et veras, et eximias ex ejus operibus facile excerpas[4], quibus liqueret Euripidi litem de eis saltem incertam pendere; ita tamen ut paulo ad severitatem inclinaret. At Aristophanes invidiose tacuit de Andromache, de Alcestide, de Polyxena, de Macaria, de Evadne, de Antigona, deque multis aliis quas ille femineæ pietatis exempla ediderat, quasi honestarum laudem paucarum scelera vel flagitia obscuravissent. Cæterum ea mulierum erat apud Græcos conditio, ut vix justas partes in tragœdia, nisi per libidines obtinere possent; quippe quæ ab virorum, præter maritos et liberos, omni societate segregatæ, artium et litterarum usu interdictæ, increbrescente opinione feminarum ingenium natura infirmius esse quam ut studiis excoleretur, vitam ignorantia degebant. Imo vel in exercenda virtute fines illis impositi: multa earum erga viros officia, jus fere nullum, ne querelarum quidem, relictum. In hac conditione pene servili jacentes, quomodo digna muliebri laude concipere ausæ essent? Paucarum nomen interdum extra gynæcæi limen ferebatur, sed propter flagitia aut scelus. Quas quum Euripides in scenam produceret, nil nisi græcos mores, græca ingenia, græcas, ut ita dicam, libidines proferebat.

[1] *Andromache*, 183; *Medea*, 1081, 569; *Hippolytus*, 462, 644; *Supplices*, 40; *Protesilas*, multisque aliis in locis.

[2] *Theogonia*, 588.

[3] *Odyssea*, 427. Significat autem Euripides sese veterem quamdam poetarum opinionem amplexum esse (*Medea*, 421).

[4] *Supplices*, 292; multaque fragmenta.

Attamen istis fidelibus vitiorum descriptionibus virtutem opposuit contrariam, eam quæ apud Græcos facilius laudabatur quam colebatur, dico castitatem. Dum Phædram agunt turpissimi furores, Hippolytus pudorem laudat, ipse

« Παρθένον ψυχὴν ἔχων [1]. »

Hoc certe distat Hippolytus a cæteris qui scenam græcam obtinuerunt, non solum optimus civis; quis autem Græcus in adolescente morum integritatem optasset, quum publica opinio vel probrosa inter concessas voluptates adnumeraret? Neque aliud Aristophanes sensisse videtur; qui risum per turpissima ludibria captitabat. Paucissimi, vel inter illos philosophos quorum placita amplexus erat Euripides, vulgarem illam indulgentiam dedignati et altiora intuentes, castitati suam sedem restituerunt, totamque vitam omnemque moralem disciplinam ad eam virtutem, quasi ad matrem cæterarum, componi voluerunt. Minime ergo civilis, sed philosophica sapientia in Hippolyto splendet; forum et urbem reformidat; imperium, honores, minime ambire, nisi forsan olympicam palmam; eloquentiæ expers, cum paucis comitibus in silvis corporis robur venatu assiduo, animi vires meditatione exercet.

Ac ne quis dubitet eam fuisse et poetæ sententiam, partem ejus virtutis illis impertivit quos, naturali prudentia et ingenuitate ornatos, manifesto ut exemplaria hominibus proponere voluit. Ita et Achilles, ille futurus Patroclis ultor, sed in fabula tantum Chironis magistri præceptis imbutus, mulieris conspectum pudicus fugit [2]; ita et Phœnix, qui apud Homerum nefanda facinora

[1] *Hippolytus*, 1006. — [2] *Iphigenia en Aulide*, 8-9.

ultro confitetur, castitatis pœnas apud Euripidem luit[1]. Eadem sentit Ion, quanquam matris culpam ipsa origine testatus[2]; eadem et Phaethon, qui patris ædes, matris aspectum, ne, conjuge ducta, libertatem perderet, fugiebat[3]. Omnes eodem animo instincti, et quasi ex Academia prodeuntes, ad illam puram, excelsam, placidamque, vere socraticam virtutem tendunt, quam neque de lege, neque de moribus pendentem gignit sapientia, confirmat doctrina philosophorum, quæque mentes supra humanam infirmitatem extollit.

Nunc veniat Aristophanes cum suo Æschylo, qui tam sublimem virtutis imaginem ne intellexisset quidem, nedum ipse concepisset! Corruptosque mores dicat ab eo qui semper philosophiæ præcepta carminum splendore illustraverit[1].

Illam ipsam philosophiam oderat Aristophanes, quam semel ut publicam pestem infamia quasi notaverat, plurimis de causis. Qui enim eam exercebant sophistæ, plerique alienigenæ, nullo respectu Athenarum, summa libertate de societate humana, de institutis urbium, de religione ratiocinabantur. Illis non semper una urbs, sed aliquando et cæteri homines, non semper Athenarum leges, sed et æternæ justitiæ præcepta, non semper paucorum utilitas, sed et generis humani jura ante oculos obversari. Ex eorum scholis novas opiniones in Euripidis fabulas defluxisse frustra queritur Aristophanes, qui non videbat omnia tum in republica, tum in moribus, tum etiam in animis mutata esse.

Quamdiu Athenæ maxime armis et libertate floruerunt, necdum imperii mole divitiisque laborabant, pa-

[1] *Phœnix.* — [2] *Ion.* — [3] *Phaethon.*

triæ caritas, civium ardor, virtus, pietas latentia institutorum vitia quasi velo obduxerunt; quæ postea omnia in apertam lucem collocaverunt principum ambitio, multitudinis impotentia, res adversæ, interdum etiam et prosperæ. Memoria, quæso, repetamus quam multa viderit Euripides ab hoc ipso populo leviter, quam multa stulte aut crudeliter facta! Præstantissimi fere cujusque inter cives exilium, fugam, pericula, repulsas; delatorum potentiam; demagogorum regnum; sitim crescentem divitiarum; bella inter Græcos pene civilia, et illa quanta atrocitate superbiaque gesta! Quum ad internecionem pugnari, captivos post pugnam trucidari, populos frequentes in servitutem redigi, prope verterat in consuetudinem. Imo parum abfuit quin ambitio in animis Atheniensium naturalem clementiam omnino aboleverit; forsan et Euripides illis concionibus interfuit, quibus mitissimus iste populus Mytilenenses, Scionæos, Toronæos, Melios, justæ rebellionis reos, occidi, urbes funditus everti jussit[2]. Quid mirum si vatem benigniorem tanta et tam unanimis atrocitas ab institutis alienaverit quæ illi aut favebant aut non obstabant? Neque tamen unquam patriæ leges aggressus, causam tantum eorum suscepit quos injusta odia aut arrogantia seu civitate, seu etiam humana societate arcebant; per illas artes popularitatem captavit, meliorem sane per oppressos et infelices quam per ferocitatem et sævitiam. Exulum ingens multitudo jam tum

[1] Captivos primi Corcyræi trucidaverunt (*Thucydides*, I, 30). Corinthii funestum exemplum secuti sunt (*Thucydides*, I, 50); post hos multi alii, vel potius omnes Græciæ populi. Sic occubuerunt fortissimi Platæarum defensores, damnantibus Lacedæmoniis (*Thucydides*, II, 5).

[2] Vide *Thucydidem*.

Græciæ urbes compleverat[1] : quis non eorum Polynicis querelas usurpavit :

« Ἀλλ' ἀναγκαίως ἔχει
« Πατρίδος ἐρᾶν ἅπαντας· ὃς δ' ἄλλως λέγει,
« Λόγοισι χαίρει, τὸν δὲ νοῦν ἐκεῖσ' ἔχει[2]. »

Quam multi forsan, auditis Troadum et Hecubæ lamentis, misericordiam pectore admiserunt quam non expresserant urbium græcarum calamitates! Norunt illi Athenienses, qui, post cladem in Sicilia acceptam capti, dominorum iras, recitatis Euripidis versibus, flexerunt, suamque recuperaverunt libertatem; norunt et ipsæ Athenæ, si quidem Lysandrum de earum excidio cum cæteris ducibus deliberantem misera Electræ conditio, a regio splendore, sicut et illa Græciæ regina urbs, in squalorem et vinculorum ignominiam dejecta, rerum humanarum admonuit. Laudem nobiliorem pulchriusque præmium quis unquam vates vel optare potuisset?

Quin etiam ad humiliora descendebant, ut ita dicam, Euripidis solatia; nam quum de misera nothorum servorumque conditione conquereretur, quum generosas proferret sententias : virtutis solum esse discrimen inter homines, nihil genus ad veram nobilitatem conferre; tantam imprudentiam verborum reprehendere admodum potuere qui verum sui temporis ingenium veteresque mores percallebant; quid autem Euripides nisi gravissimam iniquitatem ostendit? Atenim ea stabant Athenæ, stabant cæteræ Græciæ civitates, stetit omnis antiquitas : imo perierunt civitates illæ quæ nonnisi per

[1] Quæ tanta fuit, ut quum Alexander eos in suam quemque civitatem redire jussit, plus quam viginta millia redierint.

[2] *Phœnissæ*, 358.

injuriam et miserias aliorum servari poterant; nec nos decet, christiana religione ad meliorem mitioremque disciplinam informatos, servitutis patrocinium, vel apud antiquos, agere.

Superest ut Euripidem crimine impietatis absolvamus: qua in ultima defensionis parte rationem eamdem sequemur quam in prioribus.

In omni veterum religione pars una fere bonis moribus favebat, nempe doctrina de fato; eaque ipsa, quam dura, quam barbara eguerit interpretatione, scimus[1]. Cui tunc nutanti et jam paucos animos retinenti neque Euripides, neque quisquam ejus temporis fidem addere aut conciliare potuisset. Supererant flagitiosi Deorum annales, et Olympus ipse certior corruptionis schola quam totum Euripidis theatrum. Illic vitia, illic libidines, illic scelera patronos habere; ea exempla populus colere, ea pueri doceri; ea per carmina, per solemnia sacrorum, per artes et consuetudinem commendari. Sic numen divinum superstitione quasi obrutum, jacebat. Quod ut extolleret Euripides, quanquam neget Aristophanes, multa conatus est. Deos, vel in sua machina sedentes, severa fronte, magno incessu procedere jubet, eosque serenitate quadam circumfundit, quæ longe ab homerica barbarie distat. En quo vultu Venus nuntiat sese Phædræ sævum amorem, quanquam innoxiæ, injecisse, ut Hippolytum perderet: quam atrocem sententiam tamen non odium, non ira neglecti numinis, non ulla cupiditas flagitat; sed Deos a mortalibus contemni non decet; Hippolytus debetur exemplum impiis. Prodit et Diana, non oculis conspicienda,

[1] Vel apud Æschylum Clytæmnestra suum scelus deum voluntate excusat (*Choephoræ*, 847) Quid aliud Euripides in *Oreste* et *Hippolyto?*

solaturque suum amantem, ultionemque promittit; sed ipse ne morti eripiatur, lege cautum est, qua nefas Deum Dei consiliis obstare[1]; placitum plane novum in fabulis, quod nullus poeta antea noverat; at Deos cum Deis certare, alium ab alio superari, ita ut Olympus societatis humanæ pessimam simularet imaginem, id plane ridiculum esse videbatur Euripidi, eamque legem proprio motu sancivit, qua tanta rerum confusio, tantus tumultus ad certum ordinem, si fieri posset, revocaretur.

Fieri autem qui posset, quum omnis historia Deorum, ad severam rationem exacta, longam ineptiarum seriem evolvat? Quo magis nititur Euripides ut Deorum habitum ad tanti nominis dignitatem accommodet, eo manifestius in tragœdiis, quarum argumentum traditum ab antiquis et quasi sacrum mutari nefas erat, apparebat Deorum acta adventitiæ sapientiæ contraria. Imo, confiteri licet, sæpius Euripidem juvat istius religionis, vix populo nascenti commodæ, vitia detegere, Deorum sententiam aut secum pugnantem, aut rationi, aut æquitati adversantem ostendere, denique nil negligere quin populus de fabularum nugis admoneatur; ita ut certissima scientia semel Aristophani assentiamur, Euripidem civitatis Deis fidem non adhibuisse. Quid autem? Num ideo Deos non esse affirmavit? Eadem Plato de Deis Olympi censebat; fabulas et ipse velut ornamenta philosophiæ adscivit, vel liberrime interpretatus est; neque tamen posteri Platonem impietatis damnaverunt. At Euripides suas opiniones ex eodem fonte hauserat, quo Plato; socraticam sapientiam ambo, ille

[1] *Hippolytus*, 1437. — Jam non apud Euripidem Superi, ut apud Homerum et ipsum Æschylum, alii aliis conviciantur.

sermonibus et pedestri oratione, hic tragœdiis et carminibus, ratione dissimili, pari eloquentia vindicabant. Negat Euripides Deos esse quos tradidit antiquitas malos, perjuros, scelerum et injustitiæ fautores; negat hominum sanguinem a Diana posci[1]; puellas a Phœbo vitiari[2]; a Jove, qui mortalium parens vocitetur, mortales in furorem, nulla de causa, præcipites agi[3]. Credit Deorum, vel potius Dei naturam nil nisi justum admittere[4]; denique ea sentit quæ Deos veterum omnino quidem, ut vidit Aristophanes, condemnarent, numen æternum absolverent.

Horum restat, ut, impietate absolutus, imprudentiæ saltem accusetur; si quis dicat populum, antiquæ superstitionis tenacem, nondum ad veritatem capiendam maturum fuisse; his foveri temeritatem opinionum, quæ postremo pietatem tollat; meliorem esse religionem malam quam nullam. Quæ forsan concederemus, si veterum religio mores, honestatem, veramque pietatem tutata esset, novæ autem Euripidis opiniones periculum aliquod secum attulissent. Quorum neutrum fuisse video. Nam primum et maximum moribus periculum ex ipsa fabulosa flagitiosaque religione veniebat, quam emendare multi tentaverunt, nemo valebat qui non eam omnino sustulisset; pars ejus tamen depellebatur, si populus unquam veriora de Deo, de justitia, de hominum conditione admisisset. Offecerunt privata studia, ignorantia, novarum rerum odium, cupiditates; periitque non solum homerica religio, sed male defensa Græcorum societas; tutior forsan si Deo credidisset Euripidis!

[1] *Iphigenia in Tauris*, 380. — [2] *Ion*, 370. — [3] *Hercules furens*, 1341. — [4] *Hecuba*, 789.

Conclusio.

Qui velit æquam ferre de Euripide sententiam, necesse est ante omnia Aristophanem obliviscatur, magnamque rationem ætatis habeat, qua fabulas ille docuit. Ea enim ætas agebatur cujus similis in historia sæpissime occurrit, quum populum, recentibus triumphis ferocem, rerum gestarum memoria, adulantium verba, ducum imprudentes adhortationes, fortuna semper bene gesta in periculosam arrogantiam sustulere; quum jam modestiæ paupertatisque locum fastus et avaritia tenent; admirationem sui nunc etiam fama, terrorem parta dominatio facit, vires evanuerunt; et crescente in dies imperio, minuitur per luxuriam et ignaviam, secreta mala, reipublicæ robur; denique sub falsæ magnitudinis, ut ita dicam, specie latent gliscuntque vitia, proximæ ruinæ indicia et causæ; sicut in corporibus humanis sæpe sagina et nimii colores morbum ingravescentem prænuntiant. In litteris multa jam egregia opera in omni genera edita, nimium felix ingeniorum proventus quamdam satietatem et antiquitatis prope fastidium attulerant; imo consuetudine jam et familiaritate Musarum in intimis pulcherrimæ artis quasi penetralibus profanum vulgus admissum; populus quo superbior carminum æstimator, eo pronior factus ad novitatem. Has vices multi, inquam, populi noverunt; paucissimis contigit ut ætas inter virtutem præteritam corruptionemque ingruentem media, sed corruptioni propior, vatem proferat egregium, nec indignum qui cum antiquioribus comparetur.

Cum ea ætate congruunt Euripidis et vitia et laudes. Inde ingenium illi mollius et quasi anceps; nam multa sunt in ejus scriptis vituperanda, multa et laudanda, quanquam laudanda certe superant. Imo prout ad antiquam normam referes vel provocabis ad posteros, Euripidem audacem rerum novarum indagatorem suæque reipublicæ perniciosum civem damnabis, vel bene meritum de genere humano futuræque veritatis prænuntium absolves.

Dammavit, ut vidimus, Aristophanes; qui si causam et apud nos obtinebit, illi et assentiemur populum ad sua incunabula revocanti; quodque ille in poetico argumento finxit, populum Atheniensem, resumptis viribus, juvenescere, non votum inane, sed spem fuisse legitimam dicemus; dignam sane bono cive et optandam, modo Athenienses suorum avorum nihil nisi virtutes, omissis vitiis, de quibus tacet Aristophanes, recepissent; sed propter hanc ipsam necessitatem inter aurea somnia poetarum reponendum. Quod constat, nondum ulla tempestate tantum miraculum editum est; sed eamdem viam omnes gentes vicissim, veluti fatalem, ingrediuntur, sequuntur, conficiunt, a virtute exorsi, serius ocius ad mollitiem vergentes, perque corruptionem et satietatem dilapsi; nedum solæ Athenæ, quanquam egregie inter cæteras civitates Deorum beneficiis cumulatæ, legem communem effugissent. Ergo Euripides, omisso præteriti temporis exemplo, quæ resurgere jam fas non erat, quiescere sivit, suosque cives ad eam virtutem, eam morum humanitatem, eam religionem respicere jussit, quibus tunc etiam eos emendari posse arbitrabatur.

Quamobrem illis placuit: quod ipse Aristophanes

pore, quacumque regione tulerunt, utique simillimum.

Inde quædam spectantibus, quanquam non quæsita, utilitas; nam sunt et suæ Euripidi de civitate, de moribus, de religione opiniones; sed eæ quidem, ut ipsa poesis, ad genus humanum accommodatæ, forsan uni civitati minus gratæ, cæteris acceptiores;

« Ὅπλων, ὅπων δεῖ![1] »

exclamaverat princeps Atticæ tragœdiæ. At paucis post annis ex eadem scena vox tollitur lætior:

« Ἅλις θανόντων![2] »

Gentes, quas virtus ambitiosa feroxque in bellum et discordiam agebat, Euripides ad societatem pacemque vocat; inter omnes populos novum, quanquam æternum, æquitatis, clementiæ, humanitatis jus instituit. Illi dictum fuisse credas insignem versum:

« Homo sum: humani nihil a me alienum puto. »

Hoc facit illa poetica philosophia, quam primus inter cæteros poetas Euripides in theatrum induxit. Hæc nova Musa tragœdiæ data est, felici quodam pacto sed, fateri licet, breviori. Namque non est adeo naturalis inter philosophiam et tragœdiam societas ut æternum coeant. Dum vigent carmina, jacere solet philosophia; quæ simul ac, sui certior facta, vires sumpsit, publica studia paulatim (quod saltem evenit in Græcia) in se convertit. Tum nova surgere disceptationum elementa, minime cum carminibus congruentia; non jam modo tragicus, sed et poeticus spiritus extingui, neque renaturus, nisi novo cum populo. Sed antequam expiraverit, ætas est brevior, qua philosophia, novitate placens, animos non solum persuadet, sed, cupiditati similis, percellit et com-

[1] *Myrmidones.* — [2] *Hecuba*, 251.

confessus dictum illud alterum invidiosum infirmavit: totam Euripidis poesim cum auctore extinctam fuisse. Non extincta erat poesis quæ tot pulcherrima sui specimina dedit, populumque litterarum amantissimum et optimum judicem, post insignes poetas, delectavit. Quid autem illud est quod concessit Aristophanes, placere? Nam lepida argumenta invenisse, oculos splendido spectaculo, aures venustissima verborum electione delinire, ea omnia, ut perfecto poetæ necessaria, ita non eum absolvunt. Laudem profecto meruit Euripides ampliorem et propriam. Primus apud antiquos, ne Sophocle quidem excepto, censuit hoc dignissimum esse artis poeticæ propositum, ut per se ipsam placeret; nil vidit in tragœdia, nisi tragœdiam; quam informavit ut statuam sculptor, unice in opere intentus, neque dignitatem ejus ullo modo minui ratus est si negotiis publicis aut moribus abstineret. Poeta enim qui è scena, tanquam philosophus inter discipulos, de civitate, de patriæ religione, de institutis, de agendi ratione præcepta tradit illis tantum utilis est qui eamdem urbem incolunt, et in his tantum de quibus loquitur: poeta qui, cæteris neglectis, ad suam artem respicit, nullam quidem virtutem præ cæteris commendare nititur, sed mentem totam excolit et ad semina virtutum omnium accipienda comparat; neque civem informat, sed hominem; quem Euripides accuratissime depinxit, natura varium, mobilem, inter bonum malumque ancipitem, cupiditatibus, irrequietis agitatum, natum ad virtutem, pronum ad libidines, denique non qualem eum esse oporteret, sed qualem viderat; neque Atheniensem, aut heroa, aut Deorum fautorem, sed hominem quasi recentem e natura, et omnibus qui hoc nomen quocumque tem-

movet; quam fugitivam veluti occasionem nactus Euripides, tragœdiam a summo fastigio jam ad exitium inclinantem, recreavit et renovavit, nedum corruperit.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. v. non Jul.
ann. M DCCC LV,
Facultatis Litterarum in academia Parisiensi decanus,
J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur :
Academiæ Parisiensis Rector,
CAYX.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 059 653 5